DE

FABULA TOGATA ROMANORUM.

ACCEDUNT

FABULARUM TOGATARUM RELIQUIAE.

SCRIPSIT ET EDIDIT

IOANNES HENRICUS NEUKIRCH,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

LIPSIAE

APUD WEIDMANNOS.

MDCCCXXXIII.

CAROLO MORGENSTERNIO

PRAECEPTORI AMICO ET FAUTORI BENIGNO

LIBRUM HUNCCE SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

LECTURIS.

Quatuor ante his annis Dorpati ab Ordine philosophico civibus Academicis, inter quos versabar, de praemio certaturis proposita erat quaestio de fabula togata Romanorum ac de L. Afranio, cuius reliquiarum praestantissimae simul adderentur. Rem aggressus absolvi; iudicaruntque praeceptores de discipuli labore tam benigne, ut opusculum meum publica luce non indignum esse pronuntiarent. Edendi operam suscepturus erat Io. Valent. Franckius, qui etiam de locis quibusdam nonnulla mecum communicavit, quibus usus sum. Aliquo tempore post, libello meo nondum edito, iter in Germaniam suscepi. Hic paucos tantum menses versatus eram, quum tristis nuntius de morte praeceptoris carissimi ad me pervenit. Itaque ad me perferri iussi scriptionem meam; quam tandem in ipso fine anni praeteriti accepi. Iam plura in illis, quae disserueram, vel corrigenda vel de integro scribenda mihi videbantur; utque perfectior esset commentatio, non tantum Afranii reliquias omnes, sed caeterorum quoque fragmenta, quae ex togatis petita essent, colligenda esse existimabam, exponendaque, quae exponi possent, etiam de iis poëtis, qui praeter Afranium togatis potissimum scribendis operam dederunt, Titinio et Atta. Quae de discrimine mimi et planipediae hic exhibentur, ea, quamvis ad caetera pertineant, omisissem, nisi nonnulla eorum,

quae Cl. Morgensternii iussu catalogo scholarum, quae anni MDCCCXXIX. semestri priore Dorpati habendae erant, praemissa sunt, mutanda mihi visa essent. In tractandis reliquiis, quarum numerus auctior est apud nos, quam apud Bothium, haec quatuor spectavi, ut verae fabularum inscriptiones restituerentur, ut ipsa fragmenta quam emendatissima evaderent, ut obscuriora explicarentur, ut, ubicunque fieri posset, argumenta fabularum indicarentur. Pleraeque harum reliquiarum exstant apud Nonium, cuius hisce usus sum editionibus:

I. „Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum.“ In fine legitur: „Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum impressa Venetiis industria atque impendio Nicolai Ienson Gallici. M.CCCC.LXXVI.“ Fol. Dixi hanc Ven. I.

II. „Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum.“ In fine: „Nonii Marcelli Peripatetici Tiburtiensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum impressa Venetiis. M.cccc.lxxiii.“ Fol. Signavi eam Ven. II.

Permulta in his desiderantur, quae recentiores editiones offerunt. Raro illae inter se discrepant; et ubi discrepant, antiquior fere meliores praebet lectiones, quam altera. Non raro autem sanandis locis opem ferunt.

III. „Nonii Marcelli peripathetici ad filium de verborum proprietate compendium. Sexti Festi Pompei fragmenta per ordinem Alphabeti. Marci terentii varronis de lingua Latina libri tres. De Analogia libri duo. Venun-

dantur a Claudio Chevallon ante Collegium cameracensē sub divi Christofori intersignio.“ In fine: „Impressum Parisius in Bellovisu per Ioannem Marchant. Anno dn̄i. 1511.“ Fol. Continet haec fere eadem, quae edd. Ven., quibuscum etiam saepissime in locis scribendis consentit; ita tamen differt, ut appareat, eam non ex eodem fonte fluxisse, unde illae fluxerunt. Interdum etiam opem fert, ubi Venetae medicinam non habent. Significat eam apud nos Par.

IV. „Nonii Marcelli Tiburticensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum.“ In fine scriptum est: „Venetiis in aedibus Aldi, et Andreae soceri M.D.XIII. Mense Novembri.“ Fol. Prodiit haec editio cum Varrone de L. L. et Festo ad calcem Perotti Cornucopiae. In prima pagina voluminis de Nonio haec leguntur: „Nonii Marcelli Compendia, in quibus tertia fere pars addita est: non ante impressa, idque labore, et diligentia Iucundi nostri Veronensis: qui in Gallia Nonium cum antiquis contulit exemplaribus. Additus praeterea est longus tractatus de generibus.“ Haec fundamento fuit recentioribus. Pauca tantum ex codicibus addiderunt Hadrianus Iunius et Mercerius. Indicat eam Ald.

V. „Cornucopiae Latinae linguae — authore Nicolao Perotto. — Ad haec ex antiquiore Romani sermonis sacrario, M. Terentii Varronis de lingua Latina ad Ciceronem Lib. III. Eiusdem de analogia Lib. III. S. Pompeii Festi librorum undeviginti fragmenta. N. Marcelli de proprietate sermonum lucubrationes multae ac variae, multisque locis ante hac corruptis restitutae. — Basileae. Ex officina Ioannis Valderi. An. M.D.XXXVI.“ Fol. Multa

hic mutata esse, verum est; sed pauca bene sunt mutata. Hanc editionem prodit Bas.

VI. „Nonius Marcellus de proprietate sermonum. Iam demum innumeris locis restitutus, multis locupletatus, ope vetustissimorum codicum, et industria Hadriani Iunii Medici. — Additus est in calce Fulgentii Placiadae libellus de prisco sermone ab eodem repurgatus. — Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, M.D.LXV.“ 8. Egregiam operam profecto primus in Nonium emendandum praestitit Hadrianus Iunius, etsi interdum antiquiorum editorum mutationes temere amplexus est et ipse plura parum considerate mutavit. Hanc editionem insignivi Iun.

VII. „Nonii Marcelli nova editio. Additus est libellus Fulgentii de Prisco Sermone, et notae in Nonium et Fulgentium. Parisiis, ex Officina Hadriani Perier. M.DC.XIIII.“ 8. Quae, a Iosia Mercerio curata, omnium Nonii editionum optima et habetur et est; quamvis non semper optimas lectiones offerat. Imprimis eo peccavit Mercerius, quod interdum, non monito lectore, tam suas quam aliorum coniecturas parum certas in ordinem recepit. Hanc editionem denotavi Merc.

Porro usus sum variis lectionibus, ex codice Nonii Marcelli Guelpherbytano depromptis a Seebodio, quae reperiuntur in Miscellaneorum criticorum, a Frid. Traug. Friedemanno et I. D. Godofr. Seebodio editorum, vol. I. p. 175 — 181, p. 354 — 355, p. 554 — 562, p. 669 — 675. Pertinent illae lectiones ad centum undenonaginta paginas ed. Merc., id est, ad tertiam fere partem totius operis.

Contuli etiam Nonii editionem, quae anno MDLXXXIII. Parisiis apud Aegidium Beysium cum virorum doctorum annotatis in lucem prodiit, et eam, quae continetur in Auctoribus Latinae linguae, editis anno MDCII. S. Gervasii cum annotatis Dionysii Gothofredi. Utraque fluxit ex editione Hadriani Iunii: illa ita, ut, qui Iunianam novit, illam quoque noverit; in altera nonnulla inepte mutata sunt. Quare neutram commemorandam duxi. Neque iis, quae hic annotantur, uti potui, quum indiligenter congesta sint, praesertim apud Gothofredum, ubi saepius falsi emendationum auctores indicantur et virorum doctorum opiniones pro codicum lectionibus venduntur.

Quod ad Charisium attinet, praeter editionem Putschianam haec mihi ad manum fuit: „Fl. Sosipatri Charisii Artis Grammaticae Libri quinque. — Basileae M. D. LI. apud Froben.“ 8. Appellavi eam Bas.

De caeterorum scriptorum, in quibus togatarum fragmenta reperiuntur, editionibus hic nihil indicandum videtur, quum ex ipsis locis, ubi commemorantur, apertum sit, quibus usi simus. Praeter scriptorum editiones autem in subsidiis fuerunt: „Fragmenta poëtarum veterum Latinorum, quorum opera non exstant: Ennii, Accii, Lucilii, Laberii, Pacuvii, Afranii, Naevii, Caecilii, aliorumque multorum: undique a Rob. Stephano summa diligentia olim congesta: nunc autem ab Henrico Stephano eius filio digesta, et priscarum quae in illis sunt vocum expositione illustrata: additis etiam alicubi versibus Graecis quos interpretantur. — Anno M.D.LXIIII excudebat Henricus Stephanus.“ 8. In praetextatarum reliquiis tractandis consulebantur etiam: „Martini Antonii Delrii — Syntagma tra-

hic mutata esse, verum est; sed pauca bene sunt mutata. Hanc editionem prodit Bas.

VI. „Nonius Marcellus de proprietate sermonum. Iam demum innumeris locis restitutus, multis locupletatus, ope vetustissimorum codicum, et industria Hadriani Iunii Medici. — Additus est in calce Fulgentii Placiadae libellus de prisco sermone ab eodem repurgatus. — Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, M.D.LXV." 8. Egregiam operam profecto primus in Nonium emendandum praestitit Hadrianus Iunius, etsi interdum antiquiorum editorum mutationes temere amplexus est et ipse plura parum considerate mutavit. Hanc editionem insignivi Iun.

VII. „Nonii Marcelli nova editio. Additus est libellus Fulgentii de Prisco Sermone, et notae in Nonium et Fulgentium. Parisiis, ex Officina Hadriani Perier. M.DC.XIIII." 8. Quae, a Iosia Mercerio curata, omnium Nonii editionum optima et habetur et est; quamvis non semper optimas lectiones offerat. Imprimis eo peccavit Mercerius, quod interdum, non monito lectore, tam suas quam aliorum coniecturas parum certas in ordinem recepit. Hanc editionem denotavi Merc.

Porro usus sum variis lectionibus, ex codice Nonii Marcelli Guelpherbytano depromptis a Seebodio, quae reperiuntur in Miscellaneorum criticorum, a Frid. Traug. Friedemanno et I. D. Godofr. Seebodio editorum, vol. I. p. 175 — 181, p. 354 — 355, p. 554 — 562, p. 669 — 675. Pertinent illae lectiones ad centum undenonaginta paginas ed. Merc., id est, ad tertiam fere partem totius operis.

Contuli etiam Nonii editionem, quae anno MDLXXXIII. Parisiis apud Aegidium Beysium cum virorum doctorum annotatis in lucem prodiit, et eam, quae continetur in Auctoribus Latinae linguae, editis anno MDCII. S. Gervasii cum annotatis Dionysii Gothofredi. Utraque fluxit ex editione Hadriani Iunii: illa ita, ut, qui Iunianam novit, illam quoque noverit; in altera nonnulla inepte mutata sunt. Quare neutram commemorandam duxi. Neque iis, quae hic annotantur, uti potui, quum indiligenter congesta sint, praesertim apud Gothofredum, ubi saepius falsi emendationum auctores indicantur et virorum doctorum opiniones pro codicum lectionibus venduntur.

Quod ad Charisium attinet, praeter editionem Putschianam haec mihi ad manum fuit: „Fl. Sosipatri Charisii Artis Grammaticae Libri quinque. — Basileae M. D. LI. apud Froben.“ 8. Appellavi eam Bas.

De caeterorum scriptorum, in quibus togatarum fragmenta reperiuntur, editionibus hic nihil indicandum videtur, quum ex ipsis locis, ubi commemorantur, apertum sit, quibus usi simus. Praeter scriptorum editiones autem in subsidiis fuerunt: „Fragmenta poëtarum veterum Latinorum, quorum opera non exstant: Ennii, Accii, Lucilii, Laberii, Pacuvii, Afranii, Naevii, Caecilii, aliorumque multorum: undique a Rob. Stephano summa diligentia olim congesta: nunc autem ab Henrico Stephano eius filio digesta, et priscarum quae in illis sunt vocum expositione illustrata: additis etiam alicubi versibus Graecis quos interpretantur. — Anno M.D.LXIIII excudebat Henricus Stephanus.“ 8. In praetextatarum reliquiis tractandis consulebantur etiam: „Martini Antonii Delrii — Syntagma tra-

goediae Latinae in tres partes distinctum. — Antverpiae M.D.XCIII." 4; et: „Petri Scriverii Collectanea veterum Tragicorum, L. Livii Andronici, Q. Ennii, Cn. Naevii, M. Pacuvii, L. Attii, aliorumque Fragmenta; et circa ipsa Notae breves. Quibus accedunt singulari libello Castigationes et Notae uberiores Gerardi Ioannis Vossii. Lugduni Batavorum — MDC.XX." 8. Postremum ea quoque respexi, quae viri docti disperse, vel in operibus criticis vel in scriptorum editionibus, ad togatarum fragmenta emendanda aut illustranda contulerunt. Veterum librorum monstra tunc tantum omisi, quum vulgatae lectiones dubiae videri prorsus non potuerunt. Pari ratione, quum loci allati in aliqua editione desiderabantur, id non indicavi, nisi ubi de integritate eorum dubitatio moveri posse videbatur. Non vereor, ne omiserim aliquid, quod addendum fuerit; facilius, ne addiderim, quod omittendum fuerit. Virorum doctorum coniecturas, quotquot mihi innotuerunt, fere indicavi, non quo omnes ita egregiae mihi visae sint, sed quod interdum vel ineptae hallucinationes ad veram scripturam indagandam faciunt. Omnino in componendo hoc libro ita versatus sum, ut loqui possim cum Quinctiliano Institutt. orat. VI. 3 extr.: „Ut erraverim, legentes tamen non decepi, indicata diversa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est."

Scribebam Berolini mense Augusto anni MDCCCXXXII.

DE

FABULA TOGATA

ROMANORUM.

ACCEDUNT

FABULARUM TOGATARUM RELIQUIAE.

DE FABULA TOGATA.

Quae qualesque fuerint Romanorum fabulae scaenicae, ut historiae litterariae gratia scire multum interest, sic operam ludere non videbitur, si quis vires suas in hanc rem illustrandam intendet. Nam praeterquam quod multa fabularum, in Romanorum scaena actitatarum, genera commemorantur, paucorum vero tantum exempla integra nobis servata sunt, quod veterum opera, de rebus, ad scaenam pertinentibus, scripta, quorum non parvus erat numerus [1]), omnia praeter titulos et paucas reliquias interierunt, etiam recentiores, licet non defuerint, qui, ubi eius rei occasio praebebatur, illarum fabularum naturam attingerent, nonnulli adeo de singulis generibus singulares libellos, quibus profecto rei cognitionem haud mediocriter iuvarunt, compositos ederent, tamen non pauca aut prorsus obscura aut diligentius examinanda reliquerunt. Obscuriora imprimis sunt, quae pertinent ad fabulam togatam. De qua scripturis nobis praecipue erunt omnes, quicunque exstant, grammaticorum aliorumque veterum scriptorum, quorum testimonia ad hanc rem pertinent, loci diligenter colligendi, inter se comparandi, emendandi, explicandi. Qua, quia paucissimi eorum ita sunt comparati, ut sin-

1) Vidd. Bulengerus de Theatro I. 5.; A. G. Langius Vindic. trag. Rom. p. 3.

guli per se aliquid momenti habeant, fere sola ratione iis uti licet. Ut vero clarius appareat, quomodo singula, quorum nomina apud antiquos scriptores reperiuntur, Romanarum fabularum genera inter se cohaeserint, quaeque ad togatas pertineant, quae ab iis seiungenda sint, universe nonnulla de Romanorum fabulis scaenicis, antequam ipsam disputationem de togatis aggrediamur, videntur monenda esse.

Fabularum scaenicarum apud Romanos aliae erant Graecae, aliae Latinae, id est, aliae Graecum habuerunt argumentum, aliae Romanum.

Graeci argumenti erant tragoedia, comoedia, tragicocomoedia, mimus. Mimorum argumentum Graecum fuisse, nonnulli quidem, ut Aug. Guil. Schlegelius [2]) et Baehrius [3]), negant. Sed recte suspicatus est Reuvensius, licet infelici successu rem demonstrans [4]), discrimen esse statuendum inter mimum, qui proprie dicatur, cuius argumentum fuerit Graecum, et planipediam, quae et ipsa ex mimorum genere erat, cuiusque argumentum erat Romanum.

Planipediam ex mimorum genere fuisse, apparet ex Festi loco: „Recinium, omne vestimentum quadratum — unde reciniati mimi planipedes;“ atque ex Diomedis verbis [5]): „Quarta species (fabularum Latinarum) est planipedis, qui Graece dicitur mimus.“ Hic Diomedis locus simul eiusmodi est, ut grammaticus inter mimum et planipedem nullum discrimen statuere videatur, sed tantummodo indicare, qui Graece dicatur mimus, eundem Latine appellari planipedem. Sic etiam locum intellexerunt Lilius Gregorius

2) Vorlesungen ueber dram. Kunst und Litt. T. I. p. 337 ed. Upsal. — 3) Gesch. der roem. Lit. p. 53 sq. — 4) Collectan. litt. p. 63 sqq. — 5) III. p. 487 ap. Putsch.

Gyraldus[6]), Julius Caesar Scaliger[7]), Salmasius[8]), Ger. Jo. Vossius[9]), alii. Sunt tamen veterum loci, ubi planipedes et mimi ut species aperte distinguantur. Donatus[10]) scribit: „Comoedia — multas species habet. Aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut Rhinthonica, aut planipedia.“ Io. Laur. Lydus[11]) haec praebet: „Ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς παλλιάταν, τογάταν, Ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, πλανιπεδαρίαν καὶ μιμικήν;“ et paullo post: „Πλανιπεδαρία ἡ καταστολαρία· μιμικὴ, ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν λόγῳ, μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.“ Porro etiam ex Festi verbis laudatis unde reciniati mimi planipedes intelligitur, non omnes mimos planipedes fuisse. Nam, si omnium mimorum proprium ricinium fuisset, haud dubie simpliciter unde reciniati mimi dixisset[12]). Quin ipse Diomedes discrimen statuit inter planipedem et mimum. Locutus est enim p. 487 de planipede, ac deinde post plura fabularum genera commemorata p. 488 mimum sic explicat: „Mimus est sermonis cuiuslibet motus sine reverentia, vel factorum, et (i. e. etiam) turpium, cum lascivia imitatio.“ Zieglerus[13]) quidem perhibet, Diomedem hoc loco non de mimis agere, sed de pantomimis, quum

---

6) de Poëtar. hist. VI., Opp. T. II. p. 325. — 7) Poëtic. I. 10. — 8) ad Solin. p. 77 a. D. — 9) Institutt. poët. II. 32. 1. — 10) de Comoedia. De quo titulo vidd. God. Aug. Benedict. Wolffius de Canticis in Romanorum fabulis scenicis p. 15; Lud. Schopenus in Musei Rhenani T. I. p. 155. Vulgo fragmentum illud inscribitur de Tragoedia et Comoedia. — 11) de Magistratt. reip. Rom. I. 40. — 12) Cf. Reuvens. Collectan. litt. p. 64. — 13) de Mimis Romanorum p. 13.

paullo ante de illis exposuerit; at priore loco, ut vidimus, grammaticus non proprie de mimo loquitur, sed de planipede, quem tantummodo Graece mimum appellari dicit. De pantomimis hic sermonem non esse, etiam ex verbis sequentibus apparet: „Mimus dictus *παρὰ τὸ μιμεῖσθαι*, quasi solus imitetur, quum et alia poëmata idem faciant; sed solus quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit.“ Neque enim pantomimus est poëma[14]). Nec intelligitur, quare Diomedes hic mimus scripturus fuerit pro pantomimus, quum paullo post[15]), ubi eius mentio erat facienda, hoc vocabulo usus sit. Itaque ex iis, quae disputavimus, sequitur, mimorum nomen duplici significatione usurpatum esse, latiore et angustiore. Hac enim sola ratione intelligitur, qui fiat, ut planipedes modo distinguantur a mimis, modo mimi esse dicantur.

Quaeritur iam, quid interfuerit inter mimum angustiore significatione et planipediam.

Iosephus Scaliger[16]) dicit, quemadmodum pedaneus opponatur curuli, ita planipedem opponi mimo, ut planipes nihil aliud sit, quam mimus pedaneus. Quod ut confirmet, Ausonii locum affert: „Nec de mimo planipedem, nec de comoedis histrionem.“ Scaligeri verba repetit Andreas Dacerius[17]), eademque sententia fuit Jo. Bapt. Casalii[18]), Ger. Jo. Vossii[19]), Nicolai Calliachii[20]). Docet quidem etiam Plutarchus, alios mimos arte quadam fuisse compositos, alios tan-

---

14) Vid. Gesneri Thes. ling. Lat. v. Pantomimus. — 15) p. 489. — 16) ad Fest. v. Orchestra. — 17) ibidem. — 18) de Tragoedia et Comoedia II., Gronov. Thes. antiquitt. Graec. T. VIII. p. 1616. B. — 19) Institutt. poët. II. 32. 1. — 20) de Ludis scenicis mimorum et pantomimorum syntagm. VIII.

tum scurrilitate insignes fuisse, quum haec profert[21]): „Οὐκοῦν — μῖμοί τινές εἰσιν, ὧν τοὺς μὲν ὑποθέσεις, τοὺς δὲ παίγνια καλοῦσιν. ἁρμόζειν δ᾽ οὐδέτερον οἶμαι συμποσίῳ γένος· τὰς μὲν ὑποθέσεις διὰ τὰ μήκη τῶν δραμάτων καὶ τὸ δυςχορήγητον, τὰ δὲ παίγνια, πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας," et quae sequuntur. Sed qui ex Ausonii verbis pateat, praestantiores fuisse mimos proprie dictos, viliores planipedes, me non intelligere fateor. Neque illud tam facile intelligi posse, vel ex eo apparet, quod Zieglerus[22]) et Reuvensius[23]) eodem loco utuntur, demonstraturi, mimum planipede fuisse viliorem. Quaeritur ergo, quomodo intelligenda sint Ausonii verba; quod, nisi additis ex eodem scriptore quibusdam aliis, doceri non potest. Ausonius[24]) igitur, quum Paullus carmina ab ipso poposcisset, tandem huic nonnullos versus mittit, dicens, se nihil egregii proferre posse, additque post alia: „Vide, mi Paulle, quam ineptum lacessieris, in verbis rudem, in eloquendo hiulcum, a propositis discrepantem, in versibus concinnationis expertem, in cavillando natura invenustum nec arte conditum, diluti salis et fellis ignavi, nec de mimo planipedem nec de comoedis histrionem; ac, nisi haec a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione rideres." Qui locus nisi corruptus sit, dormitans protulit Ausonius verba n e c d e m i m o p l a n i p e d e m n e c d e c o m o e d i s h i s t r i o n e m, quum, ut totius loci ratio docet, hoc sibi voluerit: n e c d e m i m i s p l a n i p e d e m n e c d e h i s t r i o n i b u s c o m o e d u m. Vix dubito autem, quin scripserit n e c d e m i m o p l a n i p e d e m n e c d e c o m o e-

21) Symposiac. VII. 8. — 22) de Mimis Rom. p. 12. — 23) Collectan. litt. p. 65 sqq. — 24) Epist. XI.

dia histrionem; ut planipes de mimo sit mimus planipes et histrio de comoedia comoedus. Quodsi sumere velles, mimum praestantiorem fuisse, quam planipedem, simul tibi sumendum esset, histrionem praestantiorem fuisse, quam comoedum; et, si cum Zieglero et Reuvensio statueres, planipedem fuisse praestantiorem, quam mimum, pariter statuere deberes, comoedum fuisse praestantiorem, quam histrionem. Utrumque manifesto absonum. Videtur autem scriptor id significare voluisse, sibi dicteria non esse in promptu, quemadmodum mimis planipedibus et comoedis. Etiamsi igitur Ausonius planipedibus aliquid tribuit, quod caeteris mimis abiudicare videtur, tamen id ad praestantiam eorum referri non potest, neque est omnino eiusmodi, quod solum efficere potuerit, ut tam certa ratione mimi et planipedes inter se distinguerentur. Porro Calliachius[25]) putat, mimorum nomen honestius fuisse, quam planipedum, quum inter mimos etiam essent, qui ethologi audirent, quod mores hominum iocis honestis exprimerent atque sententiis etiam gravioribus condirent; planipedes autem argumenta vilissima et tenuissimas personas referrent; laudatque ad sententiam suam probandam Donati verba[26]): „Planipedia dicta ob humilitatem argumenti eius ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scaena, sed plano pede.“ At ethologi isti, quos Calliachius commemorat, praeterquam quod dubium est, nonne planipedes quoque ita appellati sint, etiam minime tam honesto modo hominum mores imitabantur, quam putat vir doctus, ut manifesto docet Cicero, qui[27]): „Mimorum est,“ inquit, — „ethologorum, si nimia est, imitatio, sicut ob-

25) l. c. — 26) de Comoedia. — 27) de Orat. II. 59.

scenitas." Quod autem ad definitionem attinet, a Donato de planipedia nobis traditam, simili modo mimi definiuntur ab Euanthio, qui scribit[28]): „Mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum." Neque discrepat in definiendis mimis ab Euanthio Diomedes, cuius verba supra attulimus, quum dicit, mimum esse sermonis cuiuslibet motum sine reverentia, vel factorum, et turpium, cum lascivia imitationem; nec Jo. Lydus, scribens: „*Μιμικὴ — τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν λόγῳ, μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.*" Iam igitur nihil minus constat, quam planipedem mimo fuisse viliorem.

Prorsus contraria ratione, ut iam significavimus, Zieglerus mimorum et planipediarum discrimen indicat. Hic enim arbitratur[29]), ab initio mimos Romanos sanniones tantum fuisse, qui cum gesticulatione vehementiore quaedam e medio sumpta, praecipue lasciva, imitarentur, iocosque non praemeditatos funderent; sensim tamen in scaenam introductos esse, ut modo gesticulatione comoedos adiuvarent, modo per fabularum intervalla soli aliquid suarum iocationum in orchestra agerent, ac tunc demum praestantiores eorum Latino nomine planipedes vocari coeptos esse, latiore mimorum nomine non sublato. Hanc Ziegleri opinionem ex aliqua parte probat Reuvensius[30]). Quod ad rem nostram pertinet, primum illud falso statuitur a Zieglero, mimorum nomen ante apud Romanos usurpatum esse, quam

---

28) de Fabula. Vulgo de Tragoedia et Comoedia. De Fabula Euanthii commentatiunculam inscriptam fuisse, ex Rufino apparet, p. 2705 ap. Putsch. Cf. God. Aug. Benedict. Wolffius de Cant. in Rom. fab. scen. p. 15; Lud. Schopenus in Mus. Rhen. T. I. p. 151. — 29) de Mim. Rom. p. 8, 9, 11, 12, 18. — 30) Collectan. litt. p. 63 sqq.

planipedum. Nam ante Ciceronis tempora, quibus istud fabularum genus maxime excolebatur, nusquam mimorum fit mentio, quum planipes iam a T. Quinctio Atta, qui anno U. C. DCLXXVI. sive ante Chr. n. LXXVIII. mortem obiit, commemoretur. Eius versum hunc affert Diomedes[31]:

„Daturin' estis aurum? exsultat planipes.“

Itaque vel id, quod Romani eo demum tempore, quo hae fabulae iam ad perfectionem suam venerunt, Graecum istud nomen usurpare coeperunt, statui vetat, planipedum appellationem honestiorem fuisse, quam mimorum. Nam haud dubie recens scriptas fabulas, quas maxima quidem ex parte praestantiores fuisse liquet, siquidem ita alteras ab alteris distinguere voluissent, etiam recentiore, id est, mimorum, nomine appellavissent. Deinde vix quemquam intellecturum credo, qui praestantiores ex mimis planipedes nominari potuerint, quum in hoc verbo profecto nihil insit, quod aliquam praestantiam prodat, id quod, si hoc nomen inventum esset, ut aliquid praestantius eo indicaretur, necessarium esset. Neque ii loci, ubi planipedum fit mentio, eiusmodi sunt, ut Ziegleri opinionem probent. Donatum scribere, planipediam dictam esse ob humilitatem argumenti ac vilitatem actorum, qui in scaena plano pede uterentur, iam vidimus. Apud Macrobium[32] planipes impudica et praetextata verba iacere dicitur. Neque Ausonii loco allato Ziegleri sententiam confirmari, paullo ante demonstravimus. Denique parum credibile est, scriptores easdem fabulas, prout aut magis aut minus artificiose vel honeste compositae essent, tam certa ratione inter ipsas distincturos fuisse. Saltem Plutarchus loco posito eiusmodi distinctio-

31) III. p. 487 ap. Putscb. — 32) Saturn. II. 1.

nem neglexit. Quod igitur ad huius fabularum generis praestantiam aut vilitatem attinet, sumere licebit, et planipedum et mimorum, proprie dictorum, alios fuisse praestantiores, alios viliores.

Planipedia a Diomede in fabulas Latinas refertur, ut supra vidimus. Huius igitur argumentum erat Romanum; quod etiam inde colligere licet, quod planipedes riciniati[33]), id est, veste Romana induti, actitabant. Porro planipes in Attae fabula, quae Aedilicia erat inscripta, partes quasdam habuit[34]). Atqui haec Attae fabula, ut ex titulo eius apparet, et ex eo, quod hic poëta togatas tantummodo fabulas composuisse traditur, togata erat, id est, argumentum eius erat Romanum. Inepte ergo statueretur, planipedem in ea alios, ac Romanos mores repraesentavisse. Pertinent igitur huc ex Laberii aliorumque mimis ii, quorum tituli fabulas Romani argumenti produnt, ut Aquae caldae, quam fabulam ex Attae togata eiusdem inscriptionis expressam fuisse non temere coniicias, Augur, quo nomine Afranius et Pomponius Bononiensis fabulas composuerant, Compitalia, cui cognominem togatam scripserat Afranius, Lacus Avernus, Saturnalia[35]).

Fuisse etiam Graeci argumenti mimos, primum cum Reuvensio suspicari possis ex Diomede, qui, locutus de planipedibus, subiungit: „Si quas tamen ex soccis fabulas fecerant, palliati pronuntiabant.“ In quibus Reuvensius, animadvertens, locum esse corruptum, merito pro ex soccis scribi iubet exoticas; locique, hoc modo restituti, interpretatio haec est: Si quas tamen

---

33) Vid. Festus v. Recinium. — 34) Vid. Diomedes III. p. 487 ap. Putsch. — 35) Cf. Both. Comic. Lat. fragmm. p. 208 sqq.

poëtae exoticas, id est, Graecas, fabulas composuerant, eas pronuntiabant sive agebant histriones palliati, id est, habitu Graeco ornati. Nam pallium Graecorum erat proprium. Deinde plures Graeci mimorum tituli exstant. Commemorantur Laberii Alexandrea, Cacomnemon, Colax, cui cognomines comoedias Graecas scripserant Menander et Philemo, Cophinus, Creontes[36]), Ephebus, qui mimus fortasse expressus fuit e Philemonis Ἐφήβῳ, Hetaera, cui praeter Novium palliatarum scriptor Turpilius cognominem fabulam composuerat, Necyomantia, in qua scribenda fortasse respici potuit Sopatri Νεκυία, Scylax; Q. Lutatii Catulli Phasma, quem mimum ad Menandreae comoediae imitationem compositum fuisse coniiciunt[37]). Quin igitur nonnullorum quidem mimorum argumenta fuerint Graeca, nemo profecto erit, qui iure dubitet.

Iam, quae demonstravisse nobis videmur, paucis repetamus. Mimus generale nomen erat, cuius species erant planipes et mimus proprie dictus. Nec mimus planipede nec planipes mimo praestantior erat; sed, quod ad praestantiam aut vilitatem eorum attinet, et mimorum et planipedum alios praestantiores, alios viliores fuisse statuendum videtur. Planipediae argumentum erat Romanum, nonnullorum mimorum Graecum. Patet igitur, eos mimos, quorum argumentum fuit Graecum, mimos angustiore significatione fuisse; praesertim quum caeterae quoque Romanorum fabulae scaenicae, prout earum argumentum aut

---

36) Apud Charisium I. p. 84 ap. Putsch. legitur Laberius in Creunsi; unde Creontes fabulam inscriptam fuisse probabiliter coniecit Bothius Comic. Lat. fragmm. p. 203, quem vide. — 37) Cf. Both. Comic. Lat. fragmm. p. 269 sq.; Weberus ad Juvenal. Sat. VIII. 186.

Graecum aut Romanum erat, nomine distinctae reperiantur. Huc accedit, quod ipsa illa nomina idem probant. Nam planipedia, quod est Latinum, significat fabulam Romanam; mimus, quod est Graecum, Graeci argumenti fabulam prodit. Atque ita Diomedes quoque rem tradit, apud quem haec exstant[38]: „Poëmatis dramatici vel activi genera sunt quatuor: apud Graecos tragica, comica, satyrica, mimica; apud Romanos praetextata, tabernaria, Atellana, planipes.“ Quem locum consulto hic demum posui, in fine argumentationis, quia verebar, ne, nisi exposita essent, quae exposuimus, prave intelligeretur. Quemadmodum, qui Diomedem exscripsit, Rhabanus Maurus[39]) inde haec protulit: „Dramatici vel activi poëmatis species sunt quatuor apud Graecos: tragica, comica, satyrica, mimica. Hae apud Romanos vocantur praetextata, tabernaria, Atellana, planipes“; quasi haec earundem rerum tantum alia fuissent nomina; quum Diomedes significare vellet, has fabulas Romanas illis Graecis respondere.

Factum autem videtur hac ratione, ut mimi etiam latiore significatione planipedes comprehenderent. Antiquioribus temporibus planipedes in fabulis togatis locum habuerunt, ut ex Attae versu, supra laudato, apparet. In palliatis fabulis eiusmodi nugatores, qui iocis et dicteriis populi risum moverent, nullas videntur habuisse partes. Saltem apud Plautum, Terentium et caeteros palliatarum scriptores, quorum fragmenta adhuc exstant, huius rei vestigium prorsus desideratur. Itaque etiam apud Festum fabulae pro fabulis togatis positae esse putandae erunt in hoc

---

38) III. p. 480 ap. Putsch. — 39) de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 46 sq. ed. Colon.

loco: „Orchestra, locus in scaena, quo antea, qui nunc planipedes appellantur, non admittebantur histriones, nisi tantum interim dum fabulae explicarentur, quae sine ipsis explicari non poterant." Sullae autem extremis fere temporibus planipedes illi a comoedia se segregare[40]) ac separatim suas fabulas agere coeperunt. Argumenta harum fabularum, quippe quae togatarum partes separatae essent, ex Romanorum vita petebantur. Quum vero civitatis principes, ut L. Sulla ac paullo post eum Julius Caesar, talibus nugis maxime delectarentur, non defuerunt, qui in iis scribendis excellerent, nec iam Romanos tantum mores, sed, varietatem sectantes fabulasque palliatas respicientes, Graecos quoque simili modo repraesentarent. Iam hae Graeci argumenti fabulae mimi, quod nomen ultro se offerebat, appellabantur; nec minus illas Romani argumenti fabulas, quae et ipsae re vera mimi erant, eodem Graeco nomine, quum praesertim aliud fortasse nondum inventum esset, vocare coeperunt. Quumque mimus et fabulam et actorem fabulae significaret, ipsos etiam planipedes mimos nominare non dubitabant. Duplex autem mimi significatio movisse videtur Diomedem, ut pari modo planipedis significationem dilataret. Nam eum fabulam quoque eodem planipedis nomine appellasse, manifestum est ex his locis: „Poëmatis dramatici vel activi genera sunt quatuor: — apud Romanos praetextata, tabernaria, Atellana, planipes;" et[41]): „Latinarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum. Nam prima species est togatarum, quae praetextatae

40) Cf. Diomedes III. p. 498 ap. Putsch., ubi ex vulgari loquendi usu mimi pro planipedibus aliisque eius generis actoribus ponuntur. — 41) III. p. 487 ap. Putsch.

dicuntur —. Secunda species togatarum, quae tabernariae dicuntur —. Tertia species est fabularum Latinarum, quae — Atellanae dictae sunt —. Quarta species est planipedis, qui Graece dicitur mimus.“ Ab initio fortasse planipedias dicebant planipedum fabulas. Nam ut Diomedes solus planipedis nomine eas appellat, sic etiam vocabulum planipedia, quod apud Donatum solum reperitur, posterioribus temporibus fictum videtur, et recentius fortasse etiam est planipedaria, quod Jo. Lydus offert.

Fabula crepidata, a Donato[42]) et Jo. Lydo[43]) commemorata, ex Lydi sententia, quam Reuvensius[44]) merito defendit, eadem erat, quae tragoedia. Ger. Jo. Vossius[45]), Gisb. Cuperus[46]) aliique putaverant, crepidatas et palliatas idem significare.

Porro fabulae Rhinthonicae, ex auctoris nomine appellatae, ab antiquis scriptoribus aliquoties fit mentio. Haec ab ἱλαροτραγῳδίᾳ, cuius auctor Suida teste[47]) Rhintho fuit, non erat diversa. Ἱλαροτραγῳδίαν autem et tragicocomoediam qui unam eandemque fuisse putant, eos recte censere arbitror. Tragicocomoediae argumentum erat tragicum, sed ita cum personarum, quae in comoediis introduci solebant, partibus permistum, totaque fabula tali modo composita, ut risus potius, quam admiratio et commiseratio, moveretur. Exemplum huius generis nobis est Plauti Amphitruo, quam fabulam poëta ipse tragicocomoediam appellat[48]). Eandem fabulam ut fuisse putem ἱλαροτραγῳδίαν, vel ipsum

---

42) ad Terent. Adelph. Prol. 7. — 43) de Magistratt. reip. Rom. I. 40. — 44) Collectan. litt. p. 36 sqq. — 45) Institutt. poët. II. 7. 2. — 46) Observatt. I. 10. — 47) v. Ῥίνθων. — 48) Amphitr. Prol. 59. 63.

nomen efficit. Nam quemadmodum tragicocomoedia est comoedia, cuius argumentum est tragicum, sic ἱλαροτραγῳδία nihil aliud significare potest, nisi tragoediam, hilari modo compositam, sive fabulam, in qua, ut in tragicocomoedia, res tragicae ioculari ratione repraesentantur; idque re vera factum esse, testantur Stephanus Byzantius et Eustathius, quorum prior[49]): „Ἀνεγράφησαν," inquit, „πολλοὶ — καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ, τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς γελοῖον;" posterior[50]): „Ἐκεῖθεν (ἐκ Τάραντος) δὲ καὶ Ῥίνθων ἦν, ὁ ἐπικαλούμενος φλύαξ, ἤγουν φλύαρος ὑποκοριστικῶς, ὡς τὰ τραγικὰ εἰς γελοῖα μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς, ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς." Neque ab his discrepat Suidas, scribens: „Ῥίνθων Ταραντῖνος κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ἥ ἐστι φλυακογραφία· υἱὸς δὲ ἦν κεραμέως, καὶ γέγονεν ἐπὶ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου· δράματα δὲ αὐτοῦ τραγικὰ καὶ κωμικὰ λή;" in quibus δράματα τραγικὰ καὶ κωμικὰ manifesto sunt ἱλαροτραγῳδίαι, quemadmodum Plautus Amphitruonem suam ex tragoedia et comoedia commistam dixit[51]). Prae-

---

49) v. Τάρας. — 50) ad Dionys. Perieget. 376. — 51) Amphitr. Prol. 51 sqq. — Cuperus Observatt. I. 10., a quo non dissentit Osannus Analect. crit. p. 70 sq., Suidae locum tam perverse intellexit, ut inde concluderet, Rhinthonem fuisse poëtam comicum, qui etiam tragoedias scripserit, ac praeterea fuerit auctor ἱλαροτραγῳδίας. Nec minus spernenda est, quae probatur Harlesio in Fabricii Bibl. Graec. T. II. p. 320, sententia Toupii Emendatt. in Suid. T. II. p. 136 ed. Oxon., ex Stephani, Eustathii et Suidae locis positis statuentis, Rhinthonem et comoedias et tragoedias, non suas quidem eas, verum alienas, εἰς γελοῖον μετεῤῥυθμισμένας sive in ridiculum detortas, scripsisse. Nam δράματα τραγικὰ καὶ κωμικὰ sunt ἱλαροτραγῳδίαι, atque ἱλαροτραγῳδίαι etiam eae Rhinthonis fabulae fuerunt, quarum tituli adhuc supersunt. Comoediae autem in ridiculum non detorquentur; et tragoediae,

terea tragicocomoedia nusquam a grammaticis commemoratur, saepius fabula Rhinthonica. Procul dubio tantum Plautus ipse cum paucissimis, quo pertinet Lutatius scholiasta[52]), illo nomine hoc fabularum genus appellarunt; grammatici contra usitatius, ab auctoris nomine deductum, retinuerunt. Accedit huc, quod etiam Rhintho Amphitruonem composuit[53]), quam fabulam Plautum expressisse maxime est probabile. Sophoclis quidem Amphitruonem, ab eius scholiasta[54]) et Hesychio[55]) memoratam, poëtam Sarsinatem imitatum esse, in istam opinionem nemo sanus incidet; et ex Archippi Amphitruone Plautum suam fabulam fecisse, vel propterea non credo, quod Archippus veteris comoediae poëta fuit, quodque versus, ex eius Amphitruone servati, in Plauti fabula expressi non reperiuntur. Quamquam non adversor Meinekii sententiae[56]), vix diversum fuisse Archippi fabulae argumentum ab eo, quod Plautus in sua fabula tractavit. Alio tantum modo, quae erat veteris comoediae ratio, Archippum eandem rem conformasse arbitror, atque Rhinthonem eiusque imitatorem, Plautum. Ac videtur sane et Archippus iam Rhinthoni viam munisse et Alcaeus cum Anaxandride, quorum utriusque *Κωμῳδοτραγῳδία* commemoratur[57]). Minus vero etiam probabiliter statuas cum Aug. Guil. Schlegelio[58]) ex verbis Hora-

---

in ridiculum detortae, iam non sunt tragoediae. Denique non necessario opus erat, ut aliorum fabulas sibi transformandas sumeret, modo res tragicas ridiculo modo repraesentaret. — 52) ad Statii Theb. V. 160. — 53) Laudatur Rhinthonis Amphitruo ab Athenaeo III. p. 111. c., nullis tamen ex ea additis verbis. — 54) ad Oed. Col. 383. — 55) vv. *Ἀμφιτέρμως* et *Ἀτραυμάτιστον*. — 56) Quaest. scen. II. p. 47. — 57) Vid. Meinek. Quaest. scen. II. p. 55. — 58) Vorlesungen ueber dram. Kunst und Litt. T. I. p. 313 ed. Upsal.

tianis[59]): „Dicitur — Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,“ poëtae Siculi Plautum fuisse imitatorem in componenda hac fabula. Nam Horatii verba et referri possunt et referenda sunt ad alias fabulas, quas Sarsinatem ex Epicharmeis Latine expressisse constat[60]). Eadem denique, quae tragicocomoedia, erat etiam, quae dicebatur **Italica comoedia**, cuius mentionem facit Athenaeus[61]) his verbis: *„Σκίρας — εἷς δ' ἐστιν οὗτος τῆς Ἰταλικῆς καλουμένης κωμῳδίας ποιητής, γένος Ταραντῖνος — ἐν Μελεάγρῳ φησίν·*

Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ νέμειν βοτά,
Οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος καπρώζεται.“

Nam manifesto hic Meleager pro Italica comoedia, quae dicebatur, accipienda est; atque inscriptio cum fragmento docet, fabulam a Rhinthonica diversam non fuisse. Italica ea dicta esse videtur a Graecis, quod ea sola Graeca in Italia inventa erat ibique maxime scribebatur.

Vindicandam autem arbitror scaenae Romanae fabulam Satyricam; quamvis adversetur maxima pars virorum doctorum. Nam nec per se verisimile est, Romanos hoc tam celebratum apud Graecos fabularum genus prorsus intactum relicturos fuisse, et exstant veterum testimonia, istud comprobantia. Athenaeus[62]) auctor est, L. Sullam scripsisse *Σατυρικὰς κωμῳδίας τῇ πατρῴῳ φωνῇ*. Omnes fere hic significari putant fabulas Atellanas, alius alia ratione ostendere conans, qui Atellanae Satyricae dici potuerint. Simplicissimum tamen est, Satyricas pro eiusmodi fa-

---

59) Epist. II. 1. 57 sq. — 60) Cf. Car. Jos. Grysarius de Doriensium comoedia vol. I. p. 300 sqq. — 61) IX. p. 402. b. — 62) VI. p. 261. c.

bulis haberi, in quibus Satyri fuerint repraesentati, ut in Graecorum dramate Satyrico. Neque illud nos offendere potest, quod Satyricae hic comoediae dicuntur. Nam etsi plerumque tragoediis potius annumerantur, tamen natura earum talis fuit, ut etiam comoediae dici potuerint; quemadmodum Plautus Amphitruonem tragicocomoediam iocose etiam tragoediam dixit[63]), atque omnino Rhinthonicae, quae a Latinis scriptoribus fere in comoedias referuntur, a Graecis ἱλαροτραγῳδίαι, id est, hilares tragoediae, appellantur. In utroque genere tragicae personae prodibant, utriusque argumenta comoediarum instar risum movebant; sed Satyricae proprius accedebant ad tragicam severitatem, Rhinthonicae etiam scurrilitatem amplectebantur. Porro a Mario Victorino[64]) laudatur versus, qui unde petitus sit haud dixeris, nisi cum Casaubono[65]) ex fabula Satyrica:

„Agite, fugite, quatite, Satyri.“

Deinde apud Vitruvium legimus: „Genera autem sunt scaenarum tria: unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium Satyricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimili disparique ratione: quod — Satyricae — ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in τοπειωδῆ speciem deformatis.“ De Romani theatri scaena Vitruvium hic loqui, si, quae antecedunt et quae sequuntur, inspexeris, non poteris quin tibi persuadeas. Quodsi in theatro Romano scaenam Satyricam fuisse constat, probabile quidem est, Romanos etiam fabulas Satyricas habuisse. Postremum Horatius[66])

63) Amphitr. Prol. 51 sqq. — 64) Art. gramm. IV. p. 2591 ap. Putsch. — 65) de Satyrica Graec. poësi et Satira Rom. II. 4. — 66) Epist. ad Pis. 225 sqq.

de scribendis fabulis Satyricis praecepta tradit. Eum non Latine, sed Graece scripturis haec protulisse, haud facile quisquam contendet. Atqui credibile non est, eum praecepta daturum fuisse de fabulis, quarum nondum exstarent exempla. Colligi adeo ex Horatio potest, fuisse, qui pro Satyris etiam Faunos introduxerint in his fabulis, quum haec addit:

„Silvis deducti caveant me iudice Fauni,
Ne, velut innati triviis ac paene forenses,
Aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.“

Grammatici quidem Latini, quum de fabulis scaenicis loquuntur, aut omittunt Satyricam aut ita eius mentionem faciunt, ut tantum de Graecorum dramate cogitare videantur. Sed iidem grammatici etiam alii alias fabulas praetermittunt, trabeatam omnes; ut inde nihil concludi possit, nisi non magnum fuisse apud Romanos Satyricarum numerum. Idem colligo ex adiecto τῇ πατρῴῳ φώνῃ, id est, Latino sermone, apud Athenaeum, qui sic de Latinis Satyricis tamquam de re extraordinaria loquitur. Fortasse etiam Sulla primus earum fuit auctor, quem deinceps Atellanarum scriptores in iis componendis secuti sint. Certe scripserunt Attellanarum poëtae aliquot fabulas, quarum tituli, ex historia mythica tracti, non minus Satyricis apti fuerint, quam Rhinthonicis. De veris autem tragoediis cogitari fere non licet vel propter verba, quae inde afferuntur.

Quodsi demonstravimus, quae demonstrare conati sumus, Romani, quod sciamus, omnino quinque Graeci argumenti fabularum genera habuerunt: tragoediam sive fabulam crepidatam, comoediam, tragicocomoediam sive fabulam Rhinthonicam, quae a Graecis

ἱλαροτραγῳδία sive Ἰταλικὴ κωμῳδία appellabatur, mimum, fabulam Satyricam.

Restat, ut aliquid dicamus de fabula palliata. Quaeritur enim, num fabula palliata nomen generale fuerit, an comoediam solam ita appellare liceat. Alii, ad quos pertinent Ger. Jo. Vossius[67]), Signorellius[68]), du Bosius[69]), Osannus[70]), qui de tragoedia quoque palliata loquuntur, affirmant, id nomen fuisse generale; alii, ut Langius[71]) et Baehrius[72]), hoc negant. Imprimis quidem comoediam Graeci argumenti ab Romanis palliatam dictam esse, Donatus[73]), Jo. Lydus[74]), Acro[75]), commentator Cruquianus[76]), scholiasta Iuvenalis[77]), alii docent. Verum potuisse omnes, in quibus Graeci mores repraesentarentur, fabulas dici palliatas, cuique est concedendum. Nam quum ab histrionibus palliatis agerentur, re vera ipsae quoque palliatae erant. Neque igitur reprehendendos puto eos, qui cum Diomede, plures palliatarum species esse scribente[78]), fabulam palliatam latiore significatione usurpent; quamvis, quod ad auream litterarum Romanarum aetatem attinet, verisimile sit, comoedias tantum palliatas dictas esse. Nam quum Diomedes scribit[79]): „Togatae fabulae dicuntur, quae scriptae sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est, Romanorum — sicut Graecas fabulas ab habitu aeque palliatas Varro ait nominari,“ verendum est, ne parum accurate

67) Institutt. poët. II. 17. 1. — 68) Storia critica de' teatri. VII. sub fin. — 69) Réflexions crit. T. I. XXI. — 70) Analect. crit. p. 44. — 71) Vindic. trag. Rom. p. 52. — 72) Gesch. der roem. Lit. p. 55. — 73) de Comoedia; Praefat. ad Terent. Andr., Eunuch., Adelph. — 74) de Magistratt. reip. Rom. I. 40. — 75) ad Horat. Epist. II. 1. 57, ad Epist. ad Pis. 288. — 76) ibidem. — 77) ad Satir. I. 3. — 78) III. p. 487 ap. Putsch. — 79) III. p. 486 ap. Putsch.

Varronis, comoedias solas Graeci argumenti palliatas dicentis, sententiam retulerit. Certe hunc non communem fuisse loquendi usum, quum de fabula togata exposuerimus, magis patescet. Caeterum fabularum palliatarum, nisi a Varrone apud Diomedem, ab nullo aureae aetatis scriptore fit mentio, quum togatae saepissime commemorentur. Unde liquet, comoedias palliatas Romanos fere simpliciter vel proprie comoedias appellavisse.

Latini argumenti fabulae commemoratae reperiuntur apud scriptores togatae, praetextae sive praetextatae, trabeatae, tabernariae, Atellanae, planipediae sive planipedariae sive planipedes, quae fortasse etiam riciniatae appellatae sunt[80]). Togatarum nomen duplici significatione, angustiore et latiore, usurpabatur. Angustiore significatione, quae prioribus temporibus sola exstitit, togata non erat diversa a tabernaria; latiore ea comprehendebat praetextatam, trabeatam, tabernariam sive togatam proprie dictam. Quam sententiam, quum de singulis generibus disseruerimus, postea confirmabimus.

I.

Fabula togata, a toga, quae propria erat Romanorum vestis, ut pallium Graecorum, nominata, scripta erat secundum mores et habitum Romanorum[81]). Nec vero in urbe tantum, sed

---

80) Vidd. Reuvens. Collectan. litt. p. 52 sqq.; Osann. Analect. crit. p. 76 sqq. — 81) Vidd. Euanthius de Fabnla; Donatus de Comoedia; Diomedes III. p. 486 ap. Putsch.; Jo. Lydus de Magistratt. reip. Rom. I. 40: „Παλλιάτα μέν ἐστιν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαϊκὴν ἀρχαΐαν;“ in quibus ἀρχαίαν referendum videtur ad antiquiorum Romanorum mores et vestitum. Infeliciter vocabulum interpretatur Reuvensius Collectan. litt. p. 48.

quacunque imperium Romanum patuit, Quirites togam gestabant. Etiam ii, qui Romanis utebantur legibus, ut in praefecturis, coloniis, municipiis, hanc vestem usurpabant. Praeterea gentes peregrinae, simulatque ab Romanis devictae essent, etiam togam videntur gestare coepisse. Hinc Gallia togata. In militia Romani, nisi antiquissimis temporibus, toga non utebantur. Livius quidem locis quibusdam narrat, ab urbe ad exercitum togas missas esse; nec tamen, ut videtur, omnibus militibus, sed honestioribus tantum, ut equitibus et centurionibus. Neque id factum videtur, nisi quum bellum longius exspectandum esset, ut illis in castrorum otio uterentur[82]).

II.

Fabula praetextata dicta est a toga praetexta. Hac veste antiquissimis temporibus reges utebantur. Porro eam gestabant pueri ingenui et puellae; magistratus, non solum Romae, sed etiam coloniarum et municipiorum; vicorum et collegiorum magistri; sacerdotes, quorum in numero fuerunt augures[83]); sacra facientes om-

---

82) Vidd. omnino Lazarus Bayfius de Re vest. IX. sq.; Aldus Manutius de Toga Rom. sub fin.; Octavius Ferrarius de Re vest. I. 32; Samuel Pitiscus Lex. antiquitt. Rom. vv. Toga et Togati. — 83) Augures togam praetextam usurpasse negat Albertus Rubenius de Re vest. II. 14, amictos eos fuisse dicens trabea ex purpura et cocco, quod Suetonii loco apud Servium ad Virg. Aen. VII. 611 confirmat. Ferrarius contra Analect. de re vest. XLV., aliis testimoniis demonstrans, togam praetextam ab auguribus gestatam esse, Servii fidem suspectam habet. Festinantius, credo. Trabea omnino diebus sollemnibus usurpari solebat (vid. Dionysius Halic. Antiquitt. Rom. II. 70.); quapropter augures quoque talibus diebus eam gestasse putari possunt, et aliis togam praetextam. Cf. infra III. init.

nes. In senatoribus autem quam late patuerit praetextarum usus, de ea re viri docti dissentiunt. Maxime probabiliter statuit cum nonnullis Beaufortius[84]), ex senatoribus iis solis, qui aliquem magistratum gessissent, licitum fuisse, idque tantummodo sollemnibus diebus, togam praetextam usurpare. Quum vero ex iis fere tantum, qui magistratus fuerant, senatores lecti sint[85]), simul statui licet, maximam senatorum partem, interdum quidem, hac veste usos esse. Controversia etiam est inter viros doctos, num censores et tribuni plebis togam praetextam gestaverint[86]). Omnino autem, ut ex iis, quae diximus, apparet, honestiores tantum Romanorum praetextam gestabant, ut huc etiam quadrent haec Nonii Marcelli[87]): „Praetexta, insigne Romanum, quod supra tunicas honorati quique sumunt."

Tales igitur homines, qui togam praetextam gestarent, in fabula praetexta sive praetextata repraesentatos esse et per se intelligitur et veteres docent. Nec vero opus est statuere, omnes, qui praetexta uterentur, in his fabulis inductos esse. Imprimis Jos. Scaliger[88]), Bulengerus[89]), Ger. Jo. Vossius[90]) negant, pueros et puellas in hoc fabularum genere locum habuisse. Certe nunquam horum partes, etiamsi introducti sint

---

84) République Rom. II. 1. Cf. Zamoscius de Senatu Rom. I. 17; Middletonius Treatise on the Roman Senate. VII. — 85) Vidd. Sigonius de Antiquo iure civium Rom. II. 2; Zamoscius de Senatu Rom. I. 9. — 86) De praetextarum usu vidd. Lazarus Bayfius de Re vest. X.; Ald. Manutius de Toga; Hieronymus Bossius de Toga Rom. XI.; Octav. Ferrarius de Re vest. II. 1—4, Analect. de re vest. X.; Alb. Rubenius de Re vest. II. 14; Aegid. Forcellinius Lex. ling. Lat. v. Praetexta; Sam. Pitiscus Lex. antiquitt. Rom. v. Praetexta. — 87) p. 541 ed. Mercer. — 88) ad Fest. v. Praetextae. — 89) de Theatro I. 6. — 90) Institutt. poët. II. 7. 4.

aliquando, primae fuerunt, neque ab horum potissimum praetexta fabula appellata est, id quod putavit Ant. Augustinus[91]), quodque significare videtur commentator Cruquii[92]), quum: „Praetextata," inquit, „tragoedia fuit a praetexta veste, qua utebantur nobiles pueri sub disciplina ad annum usque decimum quintum." Praecipue magistratus in praetextatis locum habuisse, et huius generis fabularum tituli, qui adhuc supersunt, et plures veteres scriptores testantur[93]). Quod tamen ita intelligendum est, ut primas partes illorum fuisse credamus. Nam vix fabula exstitisse putari potest, in qua soli magistratus repraesentarentur. In tragoediis quoque praeter heroës matronae, puellae, nuntii aliique introducebantur. Quod intelligens Octavius Ferrarius[94]) praetextatas dictas esse perperam censet non a personarum inductarum veste, sed ab argumenti gravitate atque honestate. Ut enim palliata a pallio, togata a toga, sic praetextata a praetexta appellari putanda est. Neque id obstat, quominus alios quoque homines, qui praetexta non uterentur, introductos esse sumamus. A potiorum personarum veste tantum denominata est fabula. Caeterum illud memorabile est, apud antiquiores scriptores, ut C. Asinium Pollionem et Horatium, praetextam nominatam reperiri hanc fabulam, apud recentiores tum praetextam tum, idque saepius, praetextatam. Utrumque rectissimum est. Palliata fuit quasi amicta pallio, togata toga, praetextata praetexta, quum personae, in iis prod-

91) ad Fest. v. Praetextae. — 92) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 93) Cf. C. Asinius Pollio in Cic. Epist. ad fam. X. 32; Diomedes III. p. 487 ap. Putsch.; Euanthius de Fabula; Festus v. Togatarum, Fragm. p. 75 ed. Dacer.; Paullus ex Festo v. Praetextae. — 94) de Re vest. IV. 1.

euntes, palliis, togis, praetextis amictae essent; praetexta autem dicebatur fabula, ac si ipsa praetexta esset, quum id esset vestis, qua in ea utebantur. Longiorem formam serius fortasse finxerunt, ut praetextarum nomen magis responderet palliatis et togatis.

De natura fabulae praetextatae viri docti maxime dissentiunt. Alii[95]) tragoediam eam fuisse dicunt; alii[96]) comoediam; alii[97]) modo tragoediam modo comoediam; alii[98]) nec tragoediam nec comoediam, sed tragoediae similem, quam quidem sententiam verissimam existimo, si, ut par est, quum in hac disputatione de tragoediis loquimur, Graecorum tragoedias, unde Romanorum tragici suas Latine expresserunt, significa-

95) Ex multis commemorentur Jul. Caes. Scaliger Poëtic. I. 8; Jos. Scaliger ad Fest. v. Praetextae; Mart. Ant. Delrius Syntagm. trag. Lat. T. I. p. 6, 8; Jul. Caes. Bulengerus de Theatro I. 6; Ger. Jo. Vossius II. 7. 1, 4, item II. 17. 1; Reuvensius Collectan. litt. p. 43; A. G. Langius Vindic. trag. Rom. p. 11; Stieglitzius de Pacuvii Duloreste p. 12. — 96) Jo. Bapt. Casalius de Trag. et Com., Gronov. Thes. antiquitt. Graec. T. VIII. p. 1606; Ant. Augustinus ad Fest. vv. Praetextae et Togatarum; Octav. Ferrarius de Re vest. IV. 1; Gisb. Cuperus Observatt. I. 10; Floegelius Gesch. der kom. Litt. T. IV. p. 93; Adamus Roman antiquities p. 342 ed. Lond. ann. 1814; Fridericus Astius Grundriss der Philologie p. 428 sq., alii. — 97) Signorellius Storia critica de' teatri. VII. sub fin.; du Bosius Réflex. crit. T. I. XXI.; Schoellius Histoire abregée de la litt. Rom. T. I. p. 117 sq.; J. D. Fussius Antiquitt. Rom. p. 167, unde pueri discunt haec mira: „In comoediis et tragoediis distinguitur togata a praetextata vel palliata, illa Romani, haec Graeci argumenti." — 98) Dacerius ad Fest. v. Togatarum: „Neque praetextatae vere tragoediae sunt, ut volunt viri docti," quem falso accusat Reuvensius Collectan. litt. p. 38; Forcellinius Lex. ling. Lat. v. Praetexta; Planckius de Ennii Medea p. 35; Niebuhrius Roem. Gesch. T. I. p. 543 ed. II.: „Die Praetextata hatte nur Analogie zur Tragoedie."

mus. Harum tragoediarum argumenta mythica erant propria. Nam etsi exstat Aeschyli fabula Persae commemoranturque Phrynichi Excidium Mileti et Phoenissae ac Lycophronis Cassandrenses, quae in historico argumento versabantur, tamen hae ipsae, quum tam paucae sint, quumque temporibus, quibus ars tragica aut nondum ad summum perfectionis fastigium pervenerat aut iam degenerare coeperat, scriptae sint, tantum abest, ut regulam, innumeris exemplis stabilitam, tollant, ut eam etiam confirment[99]. Inde autem, quod historia mythica his fabulis argumenta praebebat, effectum est, ut in tragoediis personae, conditionem humanam superantes, repraesentarentur[100]. In praetextatis contra homines, quos Romanorum historia offerebat, quin interdum etiam viventes, ut ipsi res, a se gestas, in scaena spectarent, introducebantur; quorum dignitas ac gravitas nullo modo tanta esse potest, quanta eorum, quorum gloria aut fama longo temporum, ubi ex inevitabili fato horribilia aut superasse aut perpessi creduntur, intervallo aucta est. Quare inter Graecorum tragoediam et Romanorum praetextam non hoc tantum intererat, quod illa Graecum, haec Romanum argumentum habuit, sed ipsa natura earum diversa fuerit necesse est. Quumque idem fere, quod modo de praetextatis diximus, etiam in Graecas historici argumenti fabulas valeat, non temere censet Niebuhrius[101], illas quoque ab earum, quae proprie apud veteres tragoediae dicuntur, numero prorsus removendas esse.

---

99) Cf. Aug. Guil. Schlegelius Vorles. ueber dram. Kunst und Litt. T. I. p. 104 sqq. ed. Upsal. — 100) Cf. Aug. Guil. Schlegel. l. c. p. 93 sqq. — 101) Roem. Gesch. T. I. p. 543 ed. II.

At multo minus praetextatae comoediae fuisse putandae sunt. Nam comoedia semper aliquid ridiculi, quo ipso fabula comoedia fit, continere debet. Quodsi homines praetextati in comoedia essent repraesentati, hi etiam risui spectatorum expositi essent; quod optimatium, qui poëtarum histrionumque licentiam coërcendi facultatem habuerunt[102]), maiestati repugnat. Neque fragmenta, quae nobis servata sunt ex nonnullis praetextis, talia sunt, ut comoedias prodant.

Quae sic fere ex sola probabilitate proposuimus, eadem confirmantur Pollionis verbis[103]): „Illa vero iam ne Caesaris quidem exemplo, quod (Balbus, Pollionis quaestor in Hispania) ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum posuit. Et quidem, quum ageretur, flevit, memoria rerum gestarum commotus.“ Hic Balbus Gaditanus minor, L. Cornelii Balbi, pro quo Cicero orationem, adhuc residuam, habuit, fratris filius, ad L. Cornelium Lentulum, primo belli civilis anno consulem, qui Pompeium, in Graeciam recedentem, erat comitatus, ut hunc a Pompeii coniunctione avocaret, a C. Jul. Caesare, a cuius partibus stabat, missus erat. Sed re infecta redierat[104]). Iam nemo non videt, vilius fabulae argumentum fuisse, quam quod tragoediae gravitate dignum esset. Minus vero fabula comoedia esse potuit, quum Balbus, dum spectat, non ad ridendum, sed ad flendum commoveatur.

Quod igitur ad personarum introductarum dignitatem gravitatemque attinet, fabulae praetex-

---

102) Cf. Sueton. Octav. XLV. — 103) in Cic. Epist. ad fam. X. 32. — 104) Vidd. praeter hanc ipsam Pollionis epistolam Cic. ad Att. VIII. 9 et 11, IX. 6; Vell. Paterc. II. 51.

tatae quasi mediae erant inter tragoedias et comoedias, multo tamen propius ad illas accedentes. In quam sententiam quae optime quadrent, exstant etiam veterum grammaticorum testimonia. Diomedes [105]): „Prima species," inquit, „est togatarum, quae praetextatae dicuntur, in quibus imperatorum negotia agebantur et publica, et reges Romani vel duces inducuntur, personarum dignitate et argumentorum sublimitate tragoediis similes;" Euanthius [106]): „Praetextatas, ab dignitate personarum et Latina historia;" Festus [107]): „Togatarum duplex genus: praetextarum, ab hominum fastigio quae appellantur, quod togis praetextis rempublicam administrantes utantur; tabernariarum —;" Paullus ex Festo: „Praetextae appellantur, quae res gestas Romanorum continent scriptas."

Alia tamen offeruntur in Dialogo de oratoribus sive de causis corruptae eloquentiae [108]): „Postero die, quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, quum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento, sui oblitus, tantum Catonem cogitasset — venerunt ad eum M. Asper et Julius Secundus." Tum apud Donatum [109]) haec leguntur: „Fabula generale nomen est; eius duae primae partes sunt tragoedia et comoedia. Si Latina argumentatio sit, praetextata dicitur. Comoedia autem multas species habet —;" et apud Jo. Lydum [110]): „*Τότε* (secundi belli Punici tempore) *Λίβιος, ὁ Ῥωμαῖος κωμικὸς, μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ. Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο, εἰς κρηπιδάταν καὶ πραιτεξτάταν·*

---

105) III. p. 487 ap. Putsch. — 106) de Fabula. — 107) v. Togatarum, Fragm. p. 75 ed. Dacer. — 108) cap. II. — 109) de Comoedia. — 110) de Magistratt. reip. Rom. I. 40.

ὧν ἡ μὲν κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτά —." Utrumque locum, et Donati et Lydi, mutilum esse, apparet. Quapropter Reuvensius [111]), qui Lydum sua ex Donato contexuisse arbitratur, alterum ex altero supplens, ita locos restituit: Donati: „Fabula generale nomen est; eius duae primae partes sunt tragoedia et comoedia. Tragoedia, si Graeca argumentatio, crepidata, si Latina argumentatio sit, praetextata dicitur. Comoedia autem" etc.; Lydi: „Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο, εἰς τραγῳδίαν καὶ κωμῳδίαν. Καὶ ἡ μὲν τραγῳδία εἰς κρηπιδάταν καὶ πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν" etc. At apud Donatum sufficiat, si post comoedia repetiveris Tragoedia, ut censuit Jo. Valent. Franckius; atque apud Lydum pro simplici εἰς idem supplendum esse putavit εἰς δύο, εἰς, quod tum propter sequens εἰς ἑπτά, tum propterea, quod ita verba illa eo facilius praetermitti potuerunt, praeferendum videtur. Id quidem manifestum est, tam Donatum quam Lydum praetextatam pro tragoedia habuisse. Porro etiam Acro [112]) scribit, praetextatam quosdam tragoediam dicere; et commentator Cruquii [113]) narrat, praetextatam fuisse tragoediam a praetexta veste, qua uterentur nobiles pueri. Patet igitur ex eo, quod alii praetextatam tragoediae similem dicunt, alii adeo tragoediam, formam et structuram illius ab huius forma et structura diversam non fuisse; idque haud ambigue testatur etiam Diomedes [114]), quum

---

111) Collectan. litt. p. 35 sq. — 112) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 113) ibidem. — 114) III. p. 487 ap. Putsch. Ex Diomede Rhabani Mauri, qui illum exscripsit, locus depravatus de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon.: „Togata a praetextata tragoedia differt, quod in tragoedia heroës

togatam praetextatam a tragoedia differre dicit, quod in tragoedia heroës inducantur, in praetextata autem scribatur Brutus vel Decius vel Marcellus. Ac iam certo pronuntiare possumus, quae sola ex hoc genere superat, Senecae Octaviam, opus illud imperfectissimum, praetextam esse, eique, quod ad formam attinet, omnes fabulas praetextatas similes fuisse. Erat autem natura praetextarum ita comparata, ut eae interdum personarum gravitate proxime ad tragoedias accederent. Quod tum factum est, quum aut homines excellentes, ex antiquitate desumpti, aut qui primas partes in republica vel recentioribus temporibus egerant, in scaenam introducebantur. Quis est enim, qui iure neget, in Attii Bruto maiorem necessario fuisse gravitatem, quam in ea praetexta, quae facta erat de Balbi quaestoris itinere ad Lentulum? Itaque adducti sunt nonnulli, ut, non reputantes, tragoediarum mythica argumenta esse propria, imprimis ad graviores praetextatarum formamque earum spectantes, tragoedias eas nominare non dubitarent; quae appellatio aurea quidem litterarum Romanarum aetate fuisse videtur aliena. Quae autem hodie est tragoediae notio dilatatior, quum de tragoediis universe loquimur, iure in earum numerum referre poterimus et Phrynichi Aeschylique ac Lycophronis fabulas memoratas et Romanorum praetextatas, quarum exitus praeterea plerumque tristes fuisse videntur, ut non solum Senecae Octavia, sed

---

introducuntur, ut Pacuvius tragoedias nominibus heroicis scripsit, Orestem, Chriseu, et his similia. In praetextata autem qua inscribuntur nomina Latina, ut Brutus vel Decius," sic fere emendandus est: „Togata praetextata a tragoedia differt — Orestem, Chrysen, et his similia; in praetextata autem, qua inscribuntur nomina Latina, Brutus vel Decius."

etiam Decii, Paulli, quem Paullum ad Cannas occisum fuisse probabile est, Marcelli, Catonis (Uticensis) nomina, quibus huiusmodi fabulae inscriptae exstabant, haud obscure produnt.

Inter comoedias Acro solus, quod sciam, ex antiquis scriptoribus praetextatas recenset. Verum praeterquam quod omnia illa, quae exposuimus, istam opinionem refellunt, etiam scholiasta ipse tam dubitanter loquitur, ut rem ei prorsus ignotam fuisse appareat. Haec enim apud eum leguntur [115]: „Praetextatam quidam dicunt tragoediam, comoediam autem togatam. Alii autem dicunt, praetextatam et togatam comoedias esse, sed togatas, in quibus sunt Graeca argumenta, praetextatas, in quibus Latina. Et togatas Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. (C.?) Melissus, Afranius, Pomponius scripserunt. Comoediarum genera sunt sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata.“ Verba Comoediarum genera etc., quibus dissimilia inter se mista sunt, praeterea ne eiusdem quidem videntur, qui caetera scripsit. Parum enim haec cum antecedentibus cohaerent.

Niebuhrius [116] scribit, quum praetextata regum et imperatorum facta repraesentaret, per se intelligi, eam continuo tempore Graecarum tragoediarum caruisse. Qualis autem fuit illa temporis perpetuitas? Nonne in Graecorum quoque tragoediis, velut praecipue in Agamemnone Aeschyli atque in Andromacha et Supplicibus Euri-

---

115) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 116) Roem. Gesch. T. I. p. 543 ed. II.: „Sie (die Praetextata) stellte die Thaten roemischer Koenige und Feldherren dar (Diomed. III. p. 487.), und hiernach versteht es sich von selbst, dass ihnen wenigstens die Einheit der Zeit griechischer Tragoedien fehlte; dass sie Historien, wie die shakespearschen, waren.“

pidis res, quae necessario longiore temporis intervallo nec sine intercapedine factae esse putandae sunt, repraesentatas videmus? Sed etsi concedimus, tragoediarum argumenta propterea, quod historia mythica illa suppeditabat, simpliciora fuisse faciliusque ad servandum tempus continuum apta reddi potuisse et plerumque reddita esse, tamen potuisse etiam res historicas, modo id vellent poëtae, ita tractari, ut temporis perpetuitas non negligeretur, non minus est concedendum. Certe mihi non liquet, quidni Carthaginis vel Corinthi oppugnatio simili ratione in scaena repraesentari potuerit, ac Thebarum antiquarum. Et, ut exemplum afferam, nonne in Persis Aeschyli temporis perpetuitas magis etiam servatur, quam in nonnullis tragoediis? Etiam in fabula, de Balbi itinere ad Lentulum composita, probabiliter nihil aliud actum est, nisi negotia, quae Balbus cum Lentulo habuit; eaque, ut videtur, optime uno tenore ac sine temporis intermissione describi potuerunt. Itaque per se quidem minime intelligitur, quum praetextarum argumenta essent historica, temporis perpetuitatem in iis neglectam esse; quamquam facile mihi persuadeo, non magnopere poëtas illam curaturos fuisse.

Nec magis placet altera eiusdem viri opinio, quam loco commemorato profert, non unum locum fabulae praetextatae scaenam fuisse, profecta ex eo, quod ex Bruto Attii versus nonnulli servati sunt[117], quibus Tarquinius Superbus cum somnii coniectoribus colloquitur, atque ex eadem fabula haec verba laudata reperiuntur[118]: „Qui recte consulat, consul cluat." Nam Tarquinium Niebuhrius ad Ardeam de somnio suo cum eius con-

---

117) ap. Cic. de Divin. XXII. — 118) ap. Varr. de L. L. V. 14. p. 85 ed. Spengel.

iectoribus collocutum esse arbitratur, et ex verbis allatis colligit, in hac praetextata consules creatos esse, quod factum sit Romae. Quae etiamsi recte statui concederemus, tamen inde nihil aliud sequeretur, quam in Attii Bruto scaenam mutatam esse, minime, in omnibus praetextatis; quemadmodum in Eumenidibus Aeschyli et Aiace Sophoclis scaena mutatur, licet in caeteris eorum tragoediis non fiat idem. At ne illud quidem recte contendas, in Attii Bruto scaenam modo ad Ardeam modo Romae fuisse. Nam verba Qui recte consulat, consul cluat adeo melius quadrant in deliberationem de futura reipublicae administratione, quae profecto in castris haberi potuit, quam in consulum creationem. Caeterum de hac re sentio, ut de temporis perpetuitate.

III.

Fabula trabeata dicta est a trabea, togae specie [119]), quam gestabant reges Romanorum [120]), consules diebus sollemnibus [121]), augures [122]), salii festo suo [123]), praecipue vero equites in trans-

---

119) Isidorus Orig. XIX. 24: „Trabea erat togae species ex purpura et cocco.“ Vidd. praeterea Ald. Manutius de Toga med.; Octav. Ferrarius de Re vest. II. 5, item Analect. de Re vest. V.; Dempsterus Paralip. ad Rosinii Antiquitt. Rom. V. 32. — 120) Livius I. 41; Ovidius Fast. I. 37, II. 503 sq.; Plinius H. N. VIII. 74, IX. 63; Isidorus Orig. XIX. 24. — 121) Virgilius Aen. VII. 611 sq. Trabea pro consulatu ponitur apud Claudianum in Rufin. I. 249, in Eutrop. II. Prol. 10, de Laudib. Stilic. II. 3; apud Symmachum Epist. IX. 112. — 122) Suetonius ap. Serv. ad Virg. Aen. VII. 611. Cf. de augurum trabea, quae diximus supra ann. 83. — 123) Dionysius Halic. Antiquitt. Rom. II. 70: *„Οὗτοι πάντες οἱ σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν. Ἑορτὴ δ' αὐτῶν ἐστὶ περὶ τὰ Ἀθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ, δημοτελὴς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη, ἐν αἷς διὰ τῆς πόλεως ἄγουσι τοὺς χόρους εἴς*

vectione aliisque pompis[124]. Videtur autem trabea, quum ea sollemnibus maxime diebus uterentur, nisi in pace, non esse gestata. Nam quem locum, quo etiam alii decepti sunt, Ger. Jo. Vossius[125], probaturus, duces in bello trabea usos esse, ex Livio[126] ponit: „Consul, cum Corcyrae hybernasset, vere primo in continente trabeatus ad hostem pergit,“ is hodie vulgo ita correctus legitur: „Consul — quum Corcyrae hibernasset, vere primo in continentem traiectus, ad hostem ducere pergit.“ Imperatorum quidem temporibus eam in urbe tantum usurpatam esse, ex Claudiano apparet, qui eam ab ornatu militari aperte distinguit[127].

Quin igitur, ut in fabula praetextata praetextati, sic in trabeata trabeati locum habuerint, nemo negabit. Quodsi, quum utramque vestem honoratiores tantum de populo gestaverint, in hac re probabilitatem sequi liceret, quae de fabula praetextata diximus, eadem de trabeata valerent. Scribit etiam Ger. Jo. Vossius[128], dubium non esse, quin eaedem vel saltem vicinae praetextatis fabulis fuerint trabeatae; et Prideauxius[129]: „Easdem personas (primarias) cum C. Melissus — cum togis trabeatis in scenam introduxis-

---

τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον καὶ πολλοὺς ἄλλους ἰδίους τε καὶ δημοσίους τόπους, χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας· ἔστι δ' ἐπιχώριος αὕτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις,“ et quae sequuntur. — 124) Vidd. Dionysius Halic. Antiquitt. Rom. VI. 13; Livius IX. 46; Valerius Max. II. 2. 9; Tacitus Ann. III. 2; Suetonius Domit. XIV.; alii. — 125) Institutt. poët. II. 7. 5. — 126) XXXII. 6. Cf. Annott. in ed. Drakenborch. — 127) de III. consul. Honor. 5, de IV. consul. Honor. 12, de Consul. Mall. Theod. 14. — 128) Institutt. poët. II. 7. 5. — 129) ad Marmor. Oxon. p. 206.

set, eadem deinde fabula (praetextata) trabeata etiam coepit appellari." Similiter sentit Jo. Aug. Ernestius [130]). Cuperus [131]) autem, licet praetextatam pro comoedia habeat, trabeatas tragoedias fuisse pronuntiavit. Sed videamus antiquos. Antiquorum scriptorum Suetonius [132]) solus trabeatarum nominatim facit mentionem, ex quo haec ponamus: „C. Melissus (Maecenatis libertus et bibliothecae in Octaviae porticu praefectus) — ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, libellos Ineptiarum, qui nunc Jocorum inscribuntur, componere instituit, absolvitque centum et quinquaginta, quibus et mimos diversi operis postea addidit. Fecit et novum genus togatarum, inscripsitque trabeatas." Togatae Suetonii tempore vulgo dicebantur comoediae Romani argumenti. Trabeatae igitur, si fuerunt togatarum genus, probabiliter et ipsae comoediae fuerunt. Quam sententiam confirmat Ovidius, qui Melissum, quem quidem, quae usitate comoediae dicebantur, eiusmodi fabulas composuisse nescimus, hac ratione alloquitur [133]):

„Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis;
Et tua cum socco Musa, Melisse, levis."

Quin autem, licet plures Melissi a scriptoribus commemorentur, Ovidius hunc, ut qui ipsius aequalis esset, significaverit, dubitandum non videtur. Nec quisquam caeterorum Melissorum comoedias scripsisse traditur. Acro [134]) quidem et vetus Cruquii commentator [135]) Cn. Melissum inter togatarum scriptores enumerant; sed procul dubio uterque idem est habendus, et Cn. mutandum est

---

130) ad Sueton. de Illustr. gramm. XXI. — 131) Observatt. I. 10. — 132) de Illustr. gramm. XXI. — 133) Epist. ex Ponto IV. 16. 30. — 134) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 135) ibidem.

in C., quippe qui a C. Maecenate hero praenomen acceperit[136]. Relatus autem in togatarum scriptores putandus est propter trabeatas suas; etsi vix credibile est, his scholiastis ipsis eas innotuisse.

Quaeritur iam, quos potissimum eorum, qui trabea uterentur, Melissus in his fabulis introduxerit. Osannus[137] ex notione trabeae, exposita a Lydo[138]: „Ἡ τραβαία μόνου τοῦ ῥηγὸς ἐτύγχανε παρατοῦρα, οἱονεὶ στολὴ ἐπίσημος," suspicatur, istarum fabularum argumenta intra regum historias fere constitisse. Sed Lydi quidem opinionem, reges solos trabeam gestavisse, ex iis, quae de huius vestis usu diximus, falsam esse patet. Neque omnino liquet, quare scriptor reges potissimum trabeatos introducturus fuerit. Probabilius sumi queat ex Dionysii Halicarnassensis, quacum aliorum scriptorum testimonia consentiunt, descriptione saliorum, hos trabeatis argumenta suppeditavisse. Est autem, quod me moveat, ut potius cum Forcellinio[139], A. G. Langio[140] aliisque, quorum tamen nemo suspicionis suae causam prodit, praecipue equites Romanos in fabulis trabeatis repraesentatos esse existimem. Tres erant enim post Sullae tempora populi Romani ordines: senatorius, equester, plebeius. Senatorius ordo in praetextatis inducebatur, ut supra vidimus, plebs in tabernariis, quod infra monstrabitur. Tertio ordini, equestri, ut qui non ita multo ante plane constitutus esset, nondum exstabant fabulae. Quare Melissus, ut suas quisque haberet ordo fabulas, ad novum, in quo

136) Cf. Osannus ad Appuleii de Orthographia fragm. p. 70. — 137) l. c. — 138) de Magistratt. reip. Rom. I. 7. — 139) Lex. ling. Lat. v. Trabeatus. — 140) Vindic. trag. Rom. p. 52.

equites introducerentur, fabularum genus scribendum facile invitari potuit. Et quemadmodum ordo equester medius erat inter senatorium et plebeium, ita, quod ad personarum dignitatem attinet, trabeatas medias fuisse inter praetextatas et tabernarias credere par est.

IV.

Fabulam tabernariam a taberna dictam esse, manifestum est; minus, qui factum sit, ut inde appellaretur. Quae antiquiores viri docti vel probabiliter vel absque probabilitate de hoc fabularum genere pronuntiarunt, eorum praecipua in continuata hac disputatione indicabimus. Recentissimus rem evincere studuit Osannus. Is[141]) a tabernis, ubi huiusmodi vilis argumenti comoediae, ut ait, primum agerentur, tabernariam nomen duxisse suspicatur. Putat enim, hoc fabularum genus initio a scaena publica sive theatro alienum vel cohibitum fuisse, postea vero etiam ad publicos ludos, non mutato tabernariarum nomine, translatum esse; idque inductus Jo. Lydi loco[142]): „*Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ ἢ θεατρικὴ κωμῳδία,*“ quem ita legendum coniicit: „*Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ, οὐ θεατρικὴ κωμῳδία.*“ At praeterquam quod haec opinio mera nititur coniectura, eaque vel ideo non optima, quod in loco, sic restituto, saltem *τὸ πρῶτον* vel simile quid de-

---

141) Analect. crit. p. 68 sq. — 142) de Magistratt. reip. Rom. I. 40. — Affert Osannus ad probandam suam sententiam etiam Festi locum, quem sic exhibet: „Togatarum duplex genus: praetextarum, hominum fastigio, quae sic appellantur, quod togis praetextis rempublicam administrent: tabernariarum, quia hominibus excellentibus etiam humiles permixti, ut sunt plagiarii, servi denique et cauponae et tabernis honeste prodeant persaepe.“ Quae verba quomodo ostendant, tabernarias initio a theatro alienas fuisse, equidem non intelligo.

sideratur, etiam per se improbabile est, Romanos, qui versibus Fescenninis, saturis, mimis delectarentur, iuventuti suae fabulas Atellanas agendas concederent, unquam fabularum genus ullum theatro indignum habuisse. Nec magis Reuvensius [143]) audiendus est, verba ἢ θεατρικὴ spuria iudicans, sed, si quid sani hic Lydum protulisse credere fas est, legendum: „Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ θεατρικὴ κωμῳδία.“ Σκηνοῦν est tabernas exstruere, et σκηνωτὴ θεατρικὴ κωμῳδία est comoedia, quae, dum spectatur in theatro, in scaena tabernas habet exstructas, id est, per cuius repraesentationem scaena tabernis est deformata, sive in qua homines humiliores, qui in tabernis, id est, domibus privatis ac parvis, habitant, introducuntur. Nam alterum ex altero sequitur, quoniam scaena personis actitantibus respondere debet. Ut autem Lydum sic corrigamus et interpretemur, non desunt nobis auctores. Diomedes [144]), cuius verba repetit Rhabanus Maurus [145]): „Secunda species togatarum,“ inquit, „quae tabernariae dicuntur, humilitate personarum et argumentorum similitudine comoediis pares, in quibus non magistratus regesque, sed humiles homines et privatae domus inducuntur; quae quod olim tabulis tegerentur, communiter tabernariae vocabantur.“ Osannus [146]) hunc locum admodum corruptum dicit, Bothius [147]), Osannum reprehendens, sanissimum. Qualis hodie est locus, tabernariarum nomen, licet grammaticus id manifesto voluerit, eo non explicatur. Nam qui inde tabernariae vocari potuerint, quod privatae domus, quae

143) Collectan. litt. p. 50 sq. — 144) III. p. 487 ap. Putsch. — 145) de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon. — 146) Analect. crit. p. 68. — 147) Comicc. Lat. fragmm. p. 156.

in iis inducebantur, olim tabulis tegerentur, non liquet, nisi addas, istas domus tabernas appellatas esse. Itaque Diomedes, nisi, quia Maurus quoque habet quae quum olim tabulis tegerentur, tabernariae vocabantur, errore scripserit, quae hodie leguntur, postrema verba sic protulit: quae, quod olim tabulis tegerentur, communiter tabernae vocabantur. A tabernis autem tabernarias appellari per se intelligitur. Isidorus [148]): „Tabernae," inquit, „olim vocabantur aediculae plebeiorum parvae et simplices, in vicis asseribus et tabulis clausae; unde et tabernariae, quod ibi (in tabernariis) solebant (sc. tabernae) considere." Eadem exscripta exstant apud Rhabanum Maurum [149]). Festus [150]): „Togatarum (duplex est genus: praetextarum, h)ominum fastigio; quae (sic appellantur), quod togis praetextis rem(p. administrarent); tabernariarum, quia (hominibus ex)cellentibus etiam humiles (permixti, ut sunt p)lagiarii, servi denique et (cauponae ex tab)ernis honeste prodeant (persaepe)." Quae uncinis inclusimus, licet ea in codice desiderentur atque ab Fulvio Ursino suppleta sint, tamen etiam sic satis patet, non a tabernis, in quibus huiusmodi fabulae agerentur, sed in quibus personae, in his comoediis prodeuntes, versarentur, nomen accepisse tabernarias. Perperam autem hic legitur, in tabernariis hominibus excellentibus humiles permixtos fuisse; quod cum aliorum testimoniis non consentit. Praeterea etiam omnino lacunae tali ratione expletae sunt, ut Festum ita scripsisse credere non possimus [151]). Probabilius locum sic

148) Orig. XV. 2. — 149) de Univers. XIV. 17. — 150) v. Togatarum, Fragm. p. 75 ed. Dacer. — 151) Minus etiam verisimiliter Jos. Scaliger scripserat: „Togatarum

restituas: „Togatarum duplex genus: praetextarum, ab hominum fastigio quae appellantur, quod togis praetextis remp. administrantes utantur; tabernariarum, quia cum minus excellentibus etiam humiles personae, ut plagiarii, servi denique et caupones, ex tabernis honeste prodeant in scaenam." In his cum minus et in scaenam ipsi indagavimus; caetera Jo. Valent. Franckio debemus. Minus excellentes (quam ii, qui in fabulis praetextatis, de quibus Festus modo locutus est, introducuntur) sunt homines privati, honeste tamen viventes; humiles sunt plagiarii, servi, lenones, alii huius generis. Quod Diomedes non facit discrimen inter homines humiles et privatos, eo neminem offensum iri puto. Restat, ut afferatur Euanthii locus [152]): „Tabernarias, ab humilitate argumenti et stili," ex quo id quidem patet, si humile argumentum humilisque stilus fabularum tabernariarum erant propria, etiam homines humiles in iis processisse, simulque horum aediculas in scaena apparuisse. Caeterum,

---

privatum argumentum est, quia hominum fastigia quaedam sunt. Praetextatarum publicum, quod togis praetextis remp. administrent. Tabernariarum, quia personis excellentibus etiam humiles mistae caupones, plagiarii, servi denique et lenones in tabernis honeste prodeant, mistum argumentum est." Unde Delrius Syntagm. trag. Rom. T. I. p. 6: „Tabernariarum mixtum fuit argumentum, et in iis personae togatae simul cum praetextatis introducebantur, ut ex Sex. Pompeio docti homines observarunt. Quod mixtum mediumque poëmatis genus, valde suspicor Hilarotragoediam, vel (ut Plautus) Tragicocomoediam dictum; quod nec ad Tragoediae dignitatem assurgebat, nec ad Comoediae humilitatem deprimebatur: huiusmodi est Amphitryo Plauti, et Graecorum Hercules Licymnius." Eadem fere apud Ger. Jo. Vossium Institutt. poët. II. 7. 7 et Prideauxium ad Marmor. Oxon. p. 206 leguntur; nec multo meliora apud Signorellium Storia critica de' teatri VII. sub fin. aliosque. — 152) de Fabula.

ut postea monstrabitur, verendum est, ut definitio illa ab ipsius Euanthii manu profecta sit.

Denique non dissimulandum arbitror, etiam Jo. Bapt. Casalium et Jul. Caes. Scaligerum, in cuius partes transit Gisb. Cuperus[153]), censere, tabernariam a tabernis, in scaena dispositis, nomen accepisse. Casalius[154]): „Tertium," inquit, „comoediae genus humilis fortunae imitabatur homines tunicis indutos, nec tunicata dicta est, sed ab habitaculis humilibus ac tabernis, quae disponebantur in scena, tabernaria est nominata;" Scaliger[155]): „Ultimum genus (fabularum Latinarum) capiebat humilem fortunam popularium negotiorum cum tunicis tantum: quae tamen haudquaquam Tunicatae eadem ratione, sed ab habitaculis nomen adeptae sunt. igitur Tabernariae, quod cum tabernis scenae disponebantur." Sine ulla autem probabilitate homines tantummodo tunicatos in his fabulis repraesentatos esse dicunt. Nam etsi pauperiores, quam qui togam emere possent, tunicam tantum gestabant; tamen eiusmodi homines non solos in fabulis tabernariis introductos esse, Diomedis et Festi testimonia allata satis superque docent. Neque dubitari potest, si tunicati tantum homines in iis processissent, quin Romani eas tunicatas appellavissent[156]). Ut igitur vera est Ferrarii[157]) sententia, togarum usum in tabernariis fuisse, ita ex parum perspe-

---

153) Observatt. I. 10. — 154) de Trag. et Com. II., Gronov. Thes. antiquitt. Graec. T. VIII. p. 1606. — 155) Poëtic. I. 7. — 156) Sine veterum auctoritate Schoellius Histoire abrégée de la litt. Rom. T. I. p. 118: „Les anciens distinguent trois espèces de comédies, qu' ils appellent praetextatae, trabeatae et tunicatae;" et Baehrius Gesch. der roem. Lit. p. 53 sq.: „Comoedia tunicata oder tabernaria." — 157) de Re vest. IV. 1.

cta tabernae notione eius, sicut Cuperi[158]) et Floegelii[159]), opinio fluxisse videtur, imprimis opifices et institores in iis introductos esse, quum omnes homines tenuiores in tabernis habitarent. Nisi certa testimonia exstarent, ipsas aediculas hominum humiliorum tabernas appellatas esse, unde dictae sint tabernariae, harum nomen inde ortum esse putari posset, quod, quae vulgo tabernae dicuntur, plerumque in domorum privatarum, quae in his fabulis repraesentabantur, parte antica apparebant.

Tali ratione investigantes, unde fabula tabernaria nomen traxerit, simul vidimus, quamvis humiliores personae in ea prodirent, tamen eam non ita vilis argumenti fuisse, ut nonnulli, nomine eius et Euanthii vel potius librarii alicuius verbis decepti, arbitrantur, sed comoediae, quae proprie dicebatur, parem; ad quam sententiam corroborandam facit praeterea Diomedes, scribens[160]): „Togata tabernaria a comoedia differt, quod in comoedia Graeci ritus inducuntur personaeque Graecae, Laches, Sostrata; in illa vero Latinae.“ Ad tabernarias igitur etiam pertinet, quae sola hodie ex eo genere superest, Pseudoplautina Querulus sive Aulularia. Quum vero personae illae humiliores ex plebe sumerentur, supra recte statuisse nobis videmur, quomodo praetextatae praecipue senatorii ordinis fuerint propriae, sic tabernarias plebeii proprias fuisse. Qui tamen de plebe magistratus facti essent, eos iam non tabernariis, sed praetextatis argumenta obtulisse, per se intelligitur.

---

158) Observatt. I. 10. — 159) Gesch. der kom. Lit. T. IV. p. 94. — 160) III. p. 487 ap. Putsch.

V.

Quibus ita expositis, oritur quaestio, cuiusnammodi fuerint togatae illae, quas pro peculiari fabularum genere, ab his, de quibus egimus, diverso, plurimi accipiunt. Quorum quia, dum caeteri fere gravius duntaxat argumentum togatis tribuunt, quam tabernariis[161]), Jo. Bapt. Casalius[162]) tantum et Jul. Caes. Scaliger[163]) de personis, quae in fabula togata prodierint, definite sententiam suam pronuntiarunt, in hac quoque sola examinanda paullisper commoremur. Ea est, in hisce fabulis senatores privatos cum togis introductos esse, indeque eas dictas esse togatas. Qui autem fuerunt senatores privati? Apud antiquos, ni fallor, nusquam sermo est de senatoribus privatis. Sed ut recte dicantur, qui aut magistratum nondum adepti erant, aut munere publico vacabant, tamen tantum abest, ut discrimen illud sufficiat statuendo, senatores in fabula togata inductos esse, quum populus universus togam gestaret, ut prorsus incredibile sit, si pars ordinis illius amplissimi peculiari fabularum generi argumenta suppeditasset, quum toties istarum fabularum fiat mentio, neminem illud traditurum fuisse. Ut igitur verisimilius est, quum in tabernaria personae, simplici toga amictae, locum

---

161) Exemplo sint, quae profert du Bosius Réflex. crit. T. I. XXI.: „Les piéces du second caractere (tabernariae) étoient des Comédies un peu moins sérieuses.“ De togatis scripserat: „La Comédie Romaine ou Togata, parce qu'on y introduisoit ordinairement de simples citoyens dont l'habit étoit le vêtement appellé Toga;“ et paullo post, quae cum his non congruunt: „Les piéces du premier caractere étoient très-sérieuses, et l'on y introduisoit même des personnages de condition, ce qui les fait appeller quelquefois Praetextatae.“ — 162) de Trag. et Com. II., Gronov. Thes. antiquitt. Graec. T. VIII. p. 1606. — 163) Poëtic. I. 7.

habuerint, eandem fabulam etiam simpliciter togatam appellatam esse, quam togatae nomine peculiare fabularum genus significari, ita diserta quoque veterum testimonia docent, utramque eandem fuisse. Diomedes[164]: „Togatas autem," inquit, „quum sit generale nomen, specialiter tamen pro tabernariis non modo communis error usurpat, qui Afranii (sc. tabernarias) togatas appellat, sed et poëtae, ut Horatius, qui ait[165]:

Vel qui praetextas vel qui docuere togatas."

Idem Diomedes[166]: „Togatas tabernarias in scaenam ductaverunt praecipue duo, Afranius et Quinctius." L. Afranius et T. Quinctius Atta notissimi sunt togatarum scriptores. Quodsi eorundem poëtarum fabulae ab aliis togatae, ab aliis, ut a Diomede, tabernariae vel togatae tabernariae dicuntur, non fuit discrimen inter togatas et tabernarias. Donatus[167]: „Comoediarum formae sunt tres: palliatae, Graecum habitum referentes; togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes, quas nonnulli tabernarias vocant; Atellanae" et quae sequuntur.

Etiam latiore significatione, serioribus quidem temporibus, fabulae togatae nomen usurpatum esse, Festi et Diomedis testimonia, quae attulimus, docent. Praeterea apud Diomedem[168]) haec exhibentur: „Prima species est togatarum, quae praetextatae dicuntur —. Secunda species

---

164) III. p. 487 ap. Putsch. — 165) Epist. ad Pis. 288. — 166) III. p. 488 ap. Putsch. — 167) de Comoedia. Ut locum dedimus, ita legendus est. Cf. Reuvens. Collectan. litt. p. 46 sq.; Schopen. in Mus. Rhen. T. I. p. 157. Vulgo legitur: „Palliatae, Graecum habitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant; togatae etc." Quam quidem verborum collocationem veram esse non posse manifestum est. — 168) III. p. 487 ap. Putsch.

togatarum, quae tabernariae dicuntur —." Nec potest negari, quin optimo iure praetextatae togatarum nomine una comprehendantur. Nam ut praetexta re vera toga erat, ita praetextata vere erat togata. Nec immerito Suetonius, quoniam trabea togae erat species, Melissi trabeatas novum genus togatarum appellavit. A grammaticis, qui de his rebus scripserunt, trabeatas praetermissas esse puto ea de causa, quod, quia C. Melissus propter id ipsum, quod praeter Suetonium nemo earum aperte facit mentionem, et solus scripsisse videtur huiusmodi fabulas nec magnopere in iis componendis excelluisse, illis non innotuerint. Neque videntur omnino homines novam istam Melissi inventionem multum curavisse; ut dubium quoque videatur, num unquam trabeatae actae sint.

Apud aureae aetatis scriptores tabernariae nomen non reperitur. Ubicunque apud hos huiusmodi fabularum fit mentio, eae togatae dicuntur. Nam ex Horatii versu[169]):

„Migret in obscuras humili sermone tabernas,"

quo nonnulli, ut Lambinus et Baxterus, tabernarias significari putarunt, nihil sequitur. Dicit enim poëta illo loco nihil aliud, nisi deo vel heroi humili sermone, qui hominum sit, in taberna degentium, abstinendum esse. Itaque nescio, an sumere liceat, tabernariae nomen a grammaticis prorsus fictum esse, quum fabulam togatam nomen generale fecissent, ac propterea aliud, quo, quae antea togata dicebatur, appellaretur, inveniendum esset. Neque enim nostram adscribimus opinioni Diomedis, qui[170]): „Initio," inquit, „to-

169) Epist. ad Pis. 229. — 170) III. p. 486 ap. Putsch. Apud Rhabanum Maurum de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon., ubi Diomedis locus repetitur, initium eius sic scriptum

gatae comoediae dicebantur, quod omnia in publico, honore confusa, cernebantur; quae togatae postea in praetextatas et tabernarias dividebantur.“ Nam neque illud probabile est, praetextatas unquam, nisi ab hominibus imperitis, comoedias dictas esse, neque statuere licet, latiorem togatae significationem antiquiorem fuisse, quam angustiorem, quia, quae exstant testimonia, hoc Diomedis excepto, omnia contrarium docent. Neque adeo serioribus temporibus tabernariarum nomen pro togatarum angustiore significatione in communem loquendi usum receptum fuisse, tum Diomedes ipse profitetur, quum togatas, quod sit generale nomen, pro tabernariis communem errorem[171]) usurpare narrat, tum Donatus, togatas a nonnullis tabernarias vocari dicens, comprobat.

Quum vero nihil certius esse possit, quam easdem fabulas ab aliis togatas, ab aliis tabernarias dictas esse, ii loci, ubi iuxta tabernarias togatae, ut aliud fabularum genus, ponuntur, aut ab ipsis auctoribus falsi profecti, aut a librariis corrupti putandi sunt; praesertim quum plerique eorum non minus per se ancipitis fidei videantur, quam propterea, quod cum aliis non consentiunt.

Euanthius[172]) haec habet: „Illud vero te-

---

est: „Tragoediae scilicet et comoediae initio apud Latinos togatae dicebantur.“ — 171) Pro communis error Diomedes rectius scripsisset communis loquendi usus. Pari ratione interdum homines tenuiores, qui civitatis principes officii gratia in forum deducebant, ac deinde domos reducebant, licet alii quoque togam gestarent, κατ᾽ ἐξοχὴν togati appellabantur. Vid. Forcellin. Lex. ling. Lat. v. Togatus. Et Asconius Paedianus p. 1364 ap. Gothofr. praetextam et togam ita exponit, ac si praetexta non fuerit toga. „Praetexta,“ inquit, „honestiorum, toga viliorum; quod etiam circa mulieres servabatur.“ — 172) de Fabula.

nendum est, post *νέαν κωμῳδίαν* Latinos multa fabularum genera protulisse: ut togatas, a scaenicis atque argumentis Latinis; praetextatas, ab dignitate personarum et Latina historia; Atellanas, a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae; Rhinthonicas, ab auctoris nomine; tabernarias, ab humilitate argumenti et stili; mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum." Apud Donatum[173]) haec exstant: „Comoedia autem multas species habet: aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut Rhinthonica, aut planipedia;" et alio loco[174]): „Sicut apud Graecos *δρᾶμα*, sic apud Latinos generaliter fabula dicitur, cuius species sunt tragoedia, comoedia, togata, tabernaria, praetexta, crepidata, Atellana, *μικτὸς*, Rhinthonica." Acroni[175]) tribuitur hic locus: „Comoediarum genera sunt sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata." Similiter scribit commentator Cruquianus[176]): „Fabularum autem Romanarum genera quinque: stataria, motoria, praetexta, tabernaria, togata." Jo. Lydus[177]): „*Ἡ μέντοι κωμῳδία,*" inquit, „*τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς παλλιάταν, τογάταν, Ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, πλανιπεδαρίαν καὶ μιμικήν,*" quae genera deinceps paucis verbis definit. Hi loci tantum non omnes ita sunt comparati, ut facile a librariis, qui, ignari, easdem fabulas duobus nominibus appellari, apud scriptores modo togatas, si tabernariae adessent, modo tabernarias, si togatas tantum reperissent commemoratas, desiderarent, falso suppleri potuerint. Itaque apud Euanthium, quem, Donati

173) de Comoedia. — 174) ad Terent. Adelph. Prol. 7. — 175) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 176) ibidem. — 177) de Magistratt. reip. Rom. I. 40.

aequalem, ipsum tam crasso modo errasse haud crediderim, aut verba togatas, a scaenicis atque argumentis Latinis, aut tabernarias, ab humilitate argumenti et stili ab aliena manu profecta esse existimo. Difficile autem dictu est, utra horum verborum expungenda sint. Togatae parum accurate definiuntur, quoniam non earum tantum argumenta erant Latina; tabernariarum definitio orta videtur ex ipso nomine, quo, quum veram tabernae notionem non teneret, scriptor deceptus sit. Verisimilius tamen est, quum togatarum definitio tantum indiligentiam arguat, tabernariarum vero ignorantiam, verba togatas, a scaenicis (sc. actoribus) atque argumentis Latinis ipsius Euanthii esse. Sed id quidem manifestum est, non multum huic loco tribuendum esse. Donatus priore locorum, quos modo posuimus, multas dicens comoediae esse species, septem enumerat; paullo post, quem locum ante posuimus, narrat, comoediarum formas esse tres: palliatas, togatas, quas nonnulli tabernarias vocent, Atellanas; atque alia etiam sunt, quae eiusdem auctoris feruntur in commentario ad Terentii Adelphos, ubi togata, tabernaria etc. non comoediae species dicuntur, sed iuxta eam ponuntur. Possis tamen facili negotio, quos postremos e Donato attulimus, duos illos locos ita restituere, ut, quisquis eorum fuit auctor, is vera protulisse videatur, si in priore eorum scripseris togata vel tabernaria pro togata, aut tabernaria, et alterius partem posteriorem sic edas: tragoedia, comoedia, togata tabernaria, praetexta crepidata, Atellana, mimus, Rhinthonica. Praetexta crepidata, id est, praetexta tragoedia, quemadmodum grammatici interdum loquuntur.

Vocabulum **mimus** Reuvensio [178]) debemus. Quae apud Acronem et scholiastam Cruquianum offeruntur, ea sanari non possunt, quoniam partu monstra edita sunt. Jo. Lydi verba, postrema a nobis posita, corrupta esse non puto, sed Lydum ipsum hic, ut saepissime alias, in errore versari. Si vero doctior est, quam quae pro solita eius inscitia exspectari potuerit, tabernariae definitio, quam proposuit, eam forte alicubi repertam in librum suum haud mutatam retulisse putandus videtur.

Reliquum est, ut nonnulla addantur de Senecae philosophi loco [179]): „Quam multa poëtae dicunt, quae a philosophis aut dicenda aut dicta sunt. Non attingam tragicos aut togatas nostras: habent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter comoedias et tragoedias mediae: quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet; quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis, dicenda sunt. Unum eius versum, qui ad philosophiam pertinet, — referam, quo negat fortuita in nostris habenda:

Alienum est omne, quidquid optando venit."

Manifestum est, philosophum imprimis ex sententiis de fabularum gravitate iudicare. Sententiae autem severiores sane non paucae fuerunt in togatis, ut non tantum ex hoc Senecae testimonio intelligitur, sed etiam ex Titinii Afraniique reliquiis suspicari licet. Facit ad rem etiam Fronto, apud quem haec legimus [180]): „Vel graves ex orationibus veterum sententias arriperetis, vel dulces ex poëmatis, vel ex historia splendidas, vel comes ex comoediis, vel urbanas ex togatis, vel

---

178) Collectan. litt. p. 68. — 179) Epist. VIII. — 180) Epist. II. 2. p. 159 ed. Mai.

ex Atellanis lepidas et facetas.“ Aliquid igitur severitatis togatas habuisse, facile nobis persuademus; nec, quominus ita sentiamus, adversatur, siquidem opus istud recentius, quod et ipsum sententiis gravioribus refertum est, respicere licet, Pseudoplautina Querulus sive Aulularia. At mediae inter comoedias et tragoedias profecto nec caeterae fuerunt togatae, neque est Querulus sive Aulularia; licet Klinkhamerus[181]), Senecae auctoritate inductus, iudicium illud ad hanc quoque retulerit. Facilius illud quadraret in praetextatas; quas tamen scriptorem contra communem loquendi usum togatarum nomine significasse non est credibile. Recte autem Caesius Bassus[182]), omissis generalibus palliatarum et togatarum nominibus, has fabulas enumerat: tragoediam, praetextatam, comoediam, tabernariam, Atellanam, Rhinthonicam, mimos. Planipedias, quae praeter Satyricam et trabeatam, de quibus suo loco dictum est, desiderantur, scriptor mimorum nomine videtur una complexus esse; quum praesertim caeteras fabulas singulari numero posuerit, has plurali. Causa autem eius rei videtur, quod Bassi tempore tam Graeci quam Romani argumenti mimos eodem mimorum nomine designaverint.

Quaeritur iam, utrum solae praetextatae, trabeatae, tabernariae generali togatarum nomine comprehendantur, an etiam Atellanae et planipediae huc referendae sint, quod volunt viri quidam docti, ut Chabotius[183]), Cruquius[184]), Dacerius[185]), du Bosius[186]), Forcellinius[187]). Veterum nemo

181) Prolegg. ad hanc fab. VI. — 182) de Metris, p. 2672 ap. Putsch. — 183) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 184) ibidem. — 185) ad Fest. v. Togatarum. — 186) Réflex. crit. T. I. XXI., ubi mimi planipediarum loco positi sunt. — 187) Lex. ling. Lat. vv. Fabula, Togatus.

Atellanas et planipedias togatas dicit. Nec per se verisimile est, fabulas istas ad togatas pertinere. Quid enim Oscis personis, quae in Atellanis inducebantur[188]), cum toga commune fuerit? et planipedes non togati, sed riciniati actitabant. Ricinium quidem Festus[189]) scribit dixisse duodecim tabularum interpretes virilem togam, praetextam clavo purpureo, qua mulieres uterentur; sed quum per se periculosum esset, ex uno hoc testimonio ambiguo concludere, planipediam in togatarum numerum esse referendam, tum etiam idem illud ricinium alii aliter definiunt[190]). Qui igitur factum est, ut viri illi docti in opinionem istam inciderint? Haud dubie Diomedem, confuse scribentem vel potius corruptum, ut Reuvensius[191]) et Bothius[192]), prave intellexerunt. Diomedes inter Latinas fabulas et togatas discrimen facit; illi vero utrasque easdem esse eum dicere putant. Quodsi ostenderimus, eam esse Diomedis sententiam, quam nos modo diximus, illorum opinio ultro concidet.

Legitur apud Diomedem[193]): „Togatarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum. Nam prima species est togatarum, quae praetextatae dicuntur —. Secunda species togatarum, quae tabernariae dicuntur —. Tertia spe-

---

188) Vidd. Schoberus de Atellanis p. 10, Munkius de Pompon. Bonon. pp. 25, 51. — 189) v. Recinium. — 190) Vidd. Alb. Rubenius de Re vest. I. 7; Octav. Ferrarius Analect. de re vest. IX.; Ger. Jo. Vossius Etymol. v. Rica; Sam. Pitiscus Lex. antiquitt. Rom. v. Ricinium; Gesnerus Thes. ling. Lat. v. Ricinium. — 191) Collectan. litt. p. 42, p. 47, p. 63. — 192) Comicc. Lat. fragmm. p. 99. — 193) III. p. 487 ap. Putsch. Eadem fere ad verbum repetita exstant apud Rhabanum Maurum de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon.

cies est fabularum Latinarum, quae a civitate Oscorum, Atella, in qua primum coeptae, Atellanae dictae sunt —. Quarta species est planipedis, qui Graece dicitur mimus." Quae profecto talia sunt, ut grammaticus non tantum praetextatam et tabernariam, sed etiam Atellanam et planipediam pro togatis habere videatur. Nihilo vero minus hanc eius sententiam non esse, colligere licet vel ex illo loco, quem supra attulimus: „Initio togatae comoediae dicebantur, quod omnia in publico, honore confusa, cernebantur; quae togatae postea in praetextatas et tabernarias dividebantur." Pràeterea etiam in illo altero loco discrimen facit inter fabulas togatas et Latinas. Scribit enim prima species (praetextata) est togatarum, secunda species (tabernaria) togatarum; at tertia species (Atellana) est fabularum Latinarum, quarta species est planipedis, ubi generale nomen prorsus omittit, quia modo antecessit fabularum Latinarum, quod etiam huc pertinet. Porro paullo inferius legitur togata praetextata, togata tabernaria, nusquam togata planipedia vel togata Atellana. Diomedes igitur, ut caeteri scriptores antiqui omnes, Atellanas et planipedias a togatis discernit; sed aut ita confuse scripsit, ut sententia eius vix possit intelligi, aut, id quod plus verisimilitudinis prae se fert, locus ille allatus alicubi mendo laborat. Legendum est: „Latinarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum." Nec depravationis causa non est in promptu. Exspectaverat aliquis, ut non fabulae Latinae et palliatae inter se opponerentur, sed togatae et palliatae, mutandumque sibi censuit, ignarus, omnes quidem Graeci argumenti fabulas a palliatis histri-

onibus actas esse, nec vero omnes Latini argumenti a togatis.

Aliam autem quaestionem movit Bothius, quum haec protulit[194]: „Neque alii carminum generi (quam fabulis Rhinthonicis) annumerandae videntur ipsius Novii fabulae, quae inscriptae sunt Phoenissae, Picus (quem pro rege Aboriginum habet) et Paulus, in quo Paulo intelligam Paulum Aemilium, Persei regis Macedonum victorem, μεταῤῥυθμιζόμενον εἰς γελοῖον: ut harum fabularum duae posteriores fuerint Ῥινθωνικαὶ ἐξωτικαὶ, ut loquitur Joannes Lydus de Magistrat. Romanorum 1, 40, h. e. Rhinthonicae togatae, prima autem, cuius Phoenissae argumentum, eiusmodi palliata. Quae duo diversa fabularum genera non distinguens Osannus l. l. (Analect. crit. p. 69 sqq.) male turbat, scribendum esse contendens Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξαμετρικὴ, quo nihil inutilius fingi potest.“ Non dubito quidem, quin sibi soli Osannus coniecerit istud ἐξαμετρική; tamen nihilo magis accedere possum Bothii opinioni, quum mihi non liqueat, quomodo, qui de Romanorum rebus scripsit, fabulam togatam, id est, Romanam, ἐξωτικὴν dicere potuerit, quum sic ei potius appellanda esset, quae non esset Romana. Nec, si Bothii interpretatio vocabuli vera esset, Lydi testimonio fide tributa, aliae Rhinthonicae fuissent Graecae, aliae Romanae, sed omnes Romanae. Praeterea Lydus Romanas fabulas a Graecis ita discernit, ut crepidatae et palliatae Ἑλληνικὰς ὑποθέσεις, praetextatae autem et togatae Ῥωμαϊκὰς tribuat. Quodsi scripsit Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική, hanc nec Graecam nec Romanam putavit, idque, ut videtur, ea de causa, quod eius auctor nec Romanus erat neque ex

194) Comicc. Lat. fragmm. p. 45.

Graecia propria oriundus. Paullus autem fabula Novio abiudicanda esse videtur, ut ad Paulli Pacuvianae, quae praetextata erat, fragm. III. ostendemus. Restat Picus. Qui cur potius pro rege Aboriginum, quam pro ave, habendus sit, non apparet. Si Naevius Lupum et Pullos scripsit, Pomponius Vaccam et Verrem aegrotum, Laberius Scylacem et Taurum: etiam Novius a pico ave fabulae inscriptionem petere potuit, et quidem eo facilius, quod haec avis in fatidicarum numerum referebatur.

Remotis vero, quae Bothius nobis proposuit ad defendendam Rhinthonicam togatam, examinandus est, qui causam praebuisse videtur, cur Lilius Gregorius Gyraldus[195]) Rhinthonicas etiam Latinas vocatas esse dixerit, Euanthii locus[196]): „Illud vero tenendum est, post *νέαν κωμῳδίαν* Latinos multa fabularum genera protulisse, ut togatas —; praetextatas —; Atellanas —; Rhinthonicas, ab auctoris nomine; tabernarias —; mimos —.“ Si quis ex uno hoc loco de Rhinthonicarum argumento iudicare vellet, sane facile, quum ibi Rhinthonicae a Latinis prolatae dicantur et inter Romani argumenti fabulas — nam mimi pro planipediis positi videri possunt — enumerentur, colligere in animum induceret, eas quoque, de quibus hic agimus, omnino ex caeterarum fuisse genere; qua opinatione, etsi non exstaret Plauti Amphitruo, nihil esse posset minus probabile, quoniam earum auctor fuit Graecus, verique simillimum est, Romanos primas quidem huius generis fabulas suas a Graecis ad se transtulisse. Quocirca locus ita intelligendus est, ut scriptor nihil aliud dixisse putetur, quam Latinos

195) de Poëtar. hist. VII., Opp. T. II. p. 400. — 196) de Fabula.

post comoediam etiam alias fabulas protulisse, in quibus Rhinthonicae quoque fuerint. Et incerta quidem res manet, num Romani etiam Latini argumenti fabulas Rhinthonicas unquam habuerint, licet per se veri non dissimile sit, fieri potuisse, ut eiusmodi fabulae exsisterent, ut ex hoc quoque genere essent Latinae, quae Graecis responderent et in togatas referendae essent. Sed si vere id factum esset, suspicari quidem etiam liceat, illos huic quoque generi Latini argumenti, ut caeteris, novum inventuros fuisse nomen, nec Diomedem, qui Romani argumenti fabulas cum Graecis libenter comparat, Rhinthonicas prorsus intactas relicturum fuisse.

VI.

Iam liceat praecipua eorum, quae demonstravisse nobis videmur, paucis repetere. Fabula togata, cuius argumentum erat Romanum, ut palliatae Graecum, perinde, ac palliata, latiore et angustiore significatione usurpabatur. Latiore significatione ea pro triplici populi Romani ordine dividebatur in praetextatam, trabeatam, tabernariam sive togatam angustiore significatione. Praetextatis, praeterquam quod etiam reges et serioribus temporibus imperatores quoque in iis introducebantur, imprimis ordo senatorius argumenta suppeditabat; trabeatis ordo equester; tabernariis ordo plebeius. Quod ad dignitatem et formam attinet, praetextatae similes erant tragoediis, a quibus eo differebant, quod tragoediarum argumentum erat mythicum, ideoque personae, humanam conditionem superantes, in iis procedebant, in praetextatis contra personae historicae; trabeatae comoediis Graecis similes erant, nisi quod his graviores fuisse putandae sunt; tabernariae comoediis Graecis erant pares, nec falso

comoediae Romani argumenti dicuntur. Praeterea trabeatarum ac tabernariarum, quippe recentiori comoediae Atticae respondentium, personas fictas fuisse statuendum est. Ac si iam omnium, quae apud Romanos fuerunt, fabularum scaenicarum tabulam proponamus, aliter ea, atque Langius[197]) eam exhibuit, constituenda erit, hac fere ratione:

Fabula:

A. Graeci argumenti sive palliata latiore significatione:
  - a. tragoedia sive crepidata,
  - b. comoedia sive palliata angustiore significatione vel proprie dicta,
  - c. tragicocomoedia sive Rhinthonica, Graecis *ἱλαροτραγῳδία* sive *Ἰταλικὴ κωμῳδία,*
  - d. mimus angustiore significatione vel proprie dictus,
  - e. Satyrica;

B. Latini argumenti:
  - a. togata latiore significatione:
    - *α*. praetexta sive praetextata,
    - *β*. trabeata,
    - *γ*. tabernaria sive togata angustiore significatione vel proprie dicta,
  - b. Atellana,
  - c. planipedia sive planipedaria sive planipes (riciniata).

Si vero, ex hodierno more tragoediae notionem dilatans, praetextam tragoediam dixeris, tabellam etiam ita edere possis:

Fabula:

A. tragoedia latiore significatione:
  - a. Graeci argumenti, quae proprie tragoedia dicitur, sive crepidata sive palliata,

197) Vindic. trag. Rom. p. 52.

b. Romani argumenti sive praetexta sive praetextata sive togata;

B. comoedia latiore significatione:

a. Graeci argumenti:

α. comoedia sive palliata, quae proprie dicitur,

β. tragicocomoedia sive Rhinthonica, Graecis ἱλαροτραγῳδία sive Ἰταλικὴ κωμῳδία,

γ. mimus, qui proprie dicitur;

b. Latini argumenti:

α. trabeata,

β. togata, quae proprie dicitur, sive tabernaria,

γ. Atellana,

δ. planipedia sive planipedaria sive planipes (riciniata);

C. Satyrica.

VII.

Mores, qui in fabulis togatis repraesentabantur, omnino erant urbani. Nec vero semper ipsa urbs togatarum scaena fuit. Quod quidem ad praetextatas attinet, supra monstratum est, non in urbe tantum togam praetextam gestatam esse; ut vel inde suspicari liceat, praeter ipsam Romam etiam alia loca praetextatis scaenam praebuisse; quod confirmatur iis, quae super Attii Bruto atque ea fabella, quae de Balbi itinere ad Lentulum facta erat, diximus. Nec dubitare nos sinunt fragmenta, quin Attii Aeneadarum sive Decii scaena alius fuerit locus, atque ipsa Roma; quod idem etiam de Pacuvii Paullo ex reliquiis statuere licebit. Quin quum praetextarum argumenta ex historia Romana peterentur, resque egregiae, hisce fabulis idoneae, saepius alibi, atque in ipsa urbe, gestae essent, omnino etiam

alia loca saepius, quam caput reipublicae, praetextatis scaenam videntur suppeditavisse; ut in hac re vix differrent Romanae fabulae a tragoediis Graecis, quibus perinde aliis alia loca scaenam praebuerunt. Trabeatarum contra, quoniam equites, ut qui soli eorum, qui trabea uterentur, in illis repraesentati esse videantur, hanc vestem in pompis tantum usurpabant, scaenam ipsam urbem fuisse, veri est simile. Quod ad tabernariarum scaenam attinet, errare non videbimur, si, ut comoediarum Graecarum scaenam fere Athenae praebebant [198]), illam plerumque ab urbe petitam esse asseverabimus. Quum vero tam late patuerit togarum usus, interdum quidem etiam aliunde eam sumptam esse, haud iure negares, etsi non exstarent fragmenta, istud probantia. Servatus est ex Titinii Setina hic versus:

„Accede ad sponsum audacter: virgo nulla est tali' Setiae.“

Unde liquet, fabulae scaenam non Romam, sed Setiam fuisse. Praeterea laudatur Attae fabula Aquae caldae, qui titulus indicat oppidum, quo, ut lavarentur, homines convenirent [199]); ad quam rem probandam faciunt etiam verba, inde allata, quae haud dubie balneatoris sunt: „Atque etiam muginantur hodie. Atque ego occlusero fontem.“ Neque est incredibile, ab Aquis caldis oppido, in Hispania Tarraconensi ad Minium flumen sito, togatae huius titulum esse petitum.

---

198) Plaut. Menaechm. Prol. 7 sqq.:
„Atque hoc poëtae faciunt in comoediis:
Omnis res gestas esse Athenis autumant,
Quo Graecum vobis illud videatur magis;
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum Graecissat; tamen
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.“

199) Cf. Varro de L. L. IX. 41 ed. Spengel.

VIII.

De actoribus togatarum Niebuhrius[200]) sentit, has quoque fabulas, ut Atellanas, ab Romanis ingenuis incolumi civitate agi potuisse; qua re motus, nescio. Veterum nemo illud tradidit; et propter hoc ipsum, quod Livius diserte Atellanas solas ab Romanis ingenuis actas esse narrat, dubitari non potest, quin ab iisdem histrionibus, qui palliatas agerent, etiam togatae sint actae. Livii locus hic est[201]): „Quod genus ludorum (Atellanas), ab Oscis acceptum, tenuit iuventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant." Idem colliges ex Horatio, scribente[202]):

„Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti paene patres: ea quum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit."

Neque enim Atta, quod sciamus, alias fabulas, atque togatas, composuit. Denique huc trahi possunt haec, quae Suetonius in Neronis capite undecimo offert: „Inducta est et Afranii togata, quae Incendium inscribitur; concessumque, ut scaenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent."

Asconius Paedianus[203]) narrat, Latinas fabulas, ut togatas, Atellanas et huiusmodi alias, per pauciores actas esse personas, quam Graecas. Diomedes[204]) quidem contra scribit, Latinos scri-

---

200) Roem. Gesch. T. I. p. 543 ed. II. — 201) Hist. VII. 2. — 202) Epist. II. 1. 79 sqq. — 203) ad Cic. Divinat. in Q. Caecil. XV. — 204) III. p. 488 ap. Putsch.

ptores complures personas in fabulas introduxisse, ut speciosiores eas frequentia facerent. Videntur tamen huius verba referenda esse tantummodo ad palliatarum comoediarum scriptores. Fragmenta togatarum non ita sunt comparata, ut inde de numero personarum introductarum certo indicari possit. Querulus sive Aulularia non repugnat Asconii testimonio.

Saltare togatas tradit Plinius [205]) primum instituisse Stephanionem, qui utrisque saecularibus ludis saltaverit, et divi Augusti et quos Claudius Caesar consulatu suo quarto fecit. Inde hic Stephanio apud Suetonium [206]) dicitur togatarius. Ita quidem Plinii et Suetonii locos intelligo, quamquam apud illum haud necessariam putans Harduini emendationem togatas pro togatus. Nam qui togatas saltat, necessario etiam togatus saltat. C. J. Grysarius [207]) autem togatarium putat esse togatarum actorem, scribendumque apud Plinium togatarius pro togatus; ut Stephanio proprie fuerit togatarum actor, qui in mimo quoque saltaverit. Verum praeterquam quod haec opinio mutationem necessariam reddit, quod paullo ante ostendimus, ab iisdem histrionibus, qui palliatas agerent, togatas quoque actas esse, quod omnino probabile non est, fuisse, qui togatas solas agerent, etiam ex Plinii loco laudato apparet, Stephanionem non fuisse actorem fabularum, sed saltatorem.

IX.

Quando fabulae togatae scribi coeptae sint, non certo constat. Donati locus [208]): „Comoe-

---

205) H. N. VII. 48 sub fin. — 206) Octav. XLV. — 207) Ueber den Zustand der Roem. Buehne im Zeitalter des Cicero, in Allg. Schulztg. a. 1832 II. 46. p. 361. — 208) de Comoedia.

diam apud Graecos dubium est quis invenerit, apud Latinos certum est. Comoediam et tragoediam togatam primo Livius Andronicus reperit," quia opinio ista neque alius scriptoris testimonio neque ipsius Andronici fabularum titulis aut fragmentis probatur, aut ab ignaro homine profectus aut corruptus est. Osannus [209]) pro togatam coniecit palliatam; fortasse recte. Probabile autem est, siquidem ex inscriptione iudicare licet, Naevium, cuius Romulus laudatur, primum togatam praetextatam docuisse. Certe adstipulari non possum A. G. Langio [210]), eam comoediam potius vel satiram fuisse suspicanti ex Varronis loco [211]): „Est lana, quam in Romulo Naevius appellat Oscam, ab Oscis." Haec enim, ut, qualia sunt, profecto nihil produnt de natura Romuli Naevianae, ita etiam corrupta sunt, et cum antecedentibus, ut in tractandis fragmentis monstrabimus, emendanda videntur hac ratione: „Carere a carendo, quod eam (lanam) tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia, quum ex ea carunt, quod in ea haeret neque est lana; quae in Romulo Naevius appellat Osca, ab Oscis." Sed ne haec quidem evertunt probabilitatem, quam offert inscriptio, fabulam fuisse praetextatam, quum non incredibile videatur, poëtam etiam in praetexta ad Oscorum sordes alludere potuisse. Si ex aliis locis verisimile esset, Romanos Latini argumenti habuisse fabulas Rhinthonicas, tum fortasse incidere posses in suspicionem, hanc quoque eiusdem fuisse generis. Recte autem Langius cum Scriverio [212]) et aliis negat, in praetextatas referendum esse Ennii Scipionem; quod fecerunt Delrius [213]), Bulenge-

---

209) Analect. crit. p. 44. — 210) Vindic. trag. Rom. p. 14. — 211) de L. L. p. 92 ed. Bipont. — 212) Collectan. vett. tragicc. p. 37. — 213) Syntagm. trag.

rus[214]), Ger. Jo. Vossius[215]), Planckius[216]), alii. Nam quae ex Ennii Scipione laudantur, ea sumpta sunt ex carmine, quo Ennius Scipionis res gestas celebraverat, quodque versibus trochaicis septenariis sive quadratis compositum fuisse iure existimat C. Blumius[217]). Legimus enim apud Gellium[218]): „Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. Is Hannibalem et Hasdrubalem et Hamilcarem ita pronuntiabat, ut paenultimam circumflecteret; ut testis est epistola, scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat. Solius tamen Ennii versum unum ponit ex libro, qui Scipio inscribitur. Eum versum, quadrato numero factum, subiecimus; in quo, nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexa ponatur, numerus clausurus. Versus Ennii, quem dixit, ita est:

Et qui propter Hánnibalis cópias consíderant."

Librum hic esse carmen, quod commemoravimus, non fabulam, dubitare nos non sinit loci ratio, quum, si praeter carmen illud etiam fabula eodem nomine exstitisset, Gellius non tamquam de uno et noto libro, Scipionis nomine inscripto, locutus esset, nec intelligatur, si voluisset significare fabulam, quidni etiam, ut solet, proprio vocabulo usurus fuisset, praesertim quum hic, si liber pro fabula poneretur, ambiguitas verenda esset. Ut autem versus trochaici, qui ex Ennii Scipione laudantur, non ex fabula, sed ex carmine desumpti esse putandi sunt, ita ab hoc carmine prorsus

---

Lat. T. I. p. 104. — 214) de Theatro I. 6. — 215) Institutt. poët. II. 7. 4 et II. 17. 1. — 216) de Ennii Medea p. 32. — 217) Einleitung in Rom's alte Gesch. p. 48 sq. — 218) Noctt. Att. IV. 7.

removendi sunt versus hexametri heroici, perperam illuc relati ab Hieronymo Columna[219]), cui qui temere auscultarent non defuerunt. Is enim, deceptus loco, quem Macrobius[220]) ex Ennii Scipione ponit: „Sparsis hastis longis campus splendet et horret," poëma hexametris versibus compositum arbitrabatur, atque ideo nonnullos tales Ennii versus, quum ei huc spectare viderentur, contra librorum auctoritatem sub Scipionis nomine posuit. Quae autem inde allata manifesto trochaico metro constant, ea ex operis prooemio sumpta esse opinabatur. Sed quod attinet ad versum illum, qui vulgo putatur hexameter heroicus, is eiusmodi est, ut recte iudicare videatur Bothius[221]), quum tales numeros ne Ennio quidem imputarit. Nec vero assentiri possum viro docto, pro asynarteto eum habenti. Est procul dubio trochaicus septenarius, cuius finis desideratur, delendumque vocabulum et, profectum ex antecedente splendet vel a librario, versum explente vel asyndeton refugiente; nisi, quae tamen mutatio paullo maior est, cum Ger. Jo. Vossio[222]) pro eo scribere malis atque. Deinde apud Trebellium Pollionem[223]) haec sunt: „Dicit Ennius de Scipione: Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur." Quae Hieronymus Columna violenter et parum Latine hoc modo in hexametros coëgit:

O quantam statuam faciet, quantamque columnam
Romanus popolus: res, quae, ac tua gesta loquatur.

---

219) Ennii fragmm. p. 267 sqq. — 220) Saturn. VI. 4. — 221) Tragicc. Lat. fragmm. p. 60. — 222) de Historicis Lat. I. 2. — 223) Claud. VII.

Verum vidisse videtur Salmasius, quum Trebellium hic non ipsissima poëtae verba posuisse annotavit, sed sententiam. Neque certo quidem ex Pollionis verbis patet, eum ista attulisse ex carmine, Scipionis nomine insignito, unde Macrobius [224]) haec exscripsit, quae non magis sapiunt prooemium, quam versus ille apud Gellium:

„— Mundus coéli vastus cónstitit siléntio,
Et Neptunus saévus undis ásperis pausám dedit;
Sól equis itér repressit úngulis volántibus;
Cónstitere amnés perennes, árbores ventó vacant.“

Certissime autem constat, togatas praetextatas composuisse praestantissimos Romanorum tragicos, M. Pacuvium et L. Attium; item, Curiatium Maternum, oratorem et poëtam tragicum. Maecenatis laudatur Octavia, quam fuisse praetextatam, sicut auctorem eius clarum illum C. Cilnium, infra probare conabimur. Unam praetextam etiam A. Persius Flaccus, satirarum poëta, edidisse fertur. Quin praeter hos etiam nonnulli alii praetextatis scribendis operam dederint, non est quod dubitemus. Saltem nemo horum enumeratorum propter tempus interiectum illam, a Balbo quaestore positam, scribere potuit. Neque hic praetereunda est, quae adhuc exstat, Octavia. Porro a scholiasta Cruquii [225]) praetextatas et togatas composuisse dicuntur Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. (C.) Melissus, Afranius, Pomponius; ut omittam, qui post Afranium enumeratur, Africanum, quod nomen, ortum ex simili nomine antecedente, expungendum esse iure nonnulli monuerunt. Eosdem tamen eodemque ordine Acro [226]) togatarum tantum scriptores recenset; ac dubito sane cum A.

224) Saturn. VI. 2. — 225) ad Horat. Epist. ad Pis. 288. — 226) ibidem.

G. Langio [227]), num horum vel unum praetextatas fecisse aliis testimoniis confirmare queas. Certe quod ad Melissum attinet, scholiastae testimonium dubium redditur eo, quod Suetonius, ubi de illo agit operaque eius enumerat, praetextatarum non facit mentionem. Nec magis Afranius praetextatas scripsisse credendus, ut ad fragmenta eius demonstrabimus. De Pomponii, siquidem, ut videtur, L. Pomponius Bononiensis significatur, praetextatis perinde dubitandum est vel ideo, quod fragmenta eius, quae non ita pauca sunt, nusquam eiusmodi fabulam produnt. De Aelio Lamia et Antonio Rufo praeter horum scholiastarum testimonia mihi nihil innotuit, unde de operibus eorum aliquid concludi possit. Denique etiam perperam in praetextarum scriptores P. Sulpicium Rufum retulit Delrius, C. Julium Caesarem Strabonem Kordesius, C. Titium Wetzelius, C. Asinium Pollionem Eckhardus non improbante Kordesio; quorum opiniones qui merito refellerent iam fuerunt [228]).

Fabulas trabeatas C. Melissum primum ac fortasse solum fecisse iam didicimus.

Togatas tabernarias perinde, ut praetextatas, primum scripsisse puto Naevium. Nam, ut minus certa omittam, docuit is Clastidium fabulam. Atqui Clastidium erat oppidum Galliae togatae. Quid igitur probabilius esse potest, quam fabulam illam fuisse togatam? Itaque etiam statuere licebit, hunc poëtam non magis in palliatis, quam in togatis, civitatis principes contumeliis perstrinxisse. Atque omnino fabulae togatae mihi initium cepisse videntur hoc modo. Naevius, homo

---

227) Vindic. trag. Rom. p. 11. — 228) Vidd. A. G. Langius Vindic. trag. Rom. p. 14; Bothius ad Tragicc. Lat. fragmm. p. 255; Ellendtius ad Cic. Brut. XLV.

optimatibus infestus omninoque probra ingerendi cupidus, primum liberius tractare coepit Graecorum comoedias, ita, ut nonnunquam ad Romanorum mores spectaret, id quod deinde etiam alii, ut Plautus, fecerunt, induceretque personas, quae Romanorum eos, quos odio haberet, maledictis insectarentur. Hinc in eius Acontizomeno, quae, ut ex titulo patet, palliata fuit, Sulpicii, Romani nominis, fit mentio [229]). Mox autem animadvertens, non ita commode et apte Graeca cum Romanis confundi, prorsus novum fabularum genus scribere coepit, in quibus nullae, nisi Romanae, personae prodirent, quasque, quamvis ingenium earum non valde abhorruerit ab antiqua comoedia, tamen novae formam accepisse probabiliter statuemus. Commotus autem poëta tali modo ad comoedias Romani argumenti faciendas facillime etiam adduci potuit, ut simili ratione ad tragoediae formam Romani argumenti fabulas scriberet, cuius generis Romulum eius fuisse nos arbitrari diximus. Qui proximi Naevium insecuti sunt poëtae scaenici clari, Ennius et Plautus, novum istud inventum curasse non videntur. Inter Caecilii Statii fragmenta, quum plures ibi tituli Latini reperiantur neque omnes propter verba allata Graeci argumenti fabulis praepositos fuisse statui necesse sit, etiam togatarum reliquias latere non est incredibile. Praecipue vero togatis tabernariis suis inclaruerunt Titinius, T. Quinctius Atta, L. Afranius; de quibus ad reliquias ipsorum copiosius agemus. Porro ex Acronis testimonio et commentatoris Cru-

229) Vid. Charisius II. p. 185 ap. Putsch. E Graecis Ἀκοντιζόμενον scripserat Dionysius Sinopensis teste Athenaeo XIV. p. 664. d., et Ἀκοντιζομένην Antiphanes testante eodem X. p. 441. b.

quiani, quamvis ambiguo, hic nominandi sunt Aelius Lamia, Antonius Rufus, Pomponius. L. Pomponium Bononiensem togatas tabernarias scripsisse etiam per titulos fabularum eius complures facile concedere licet; quod idem de altero quoque valeat Atellanarum scriptore claro, Novio. C. Melissus autem ut inter togatarum scriptores enumeratus reperiatur, trabeatas eius solas effecisse putandas esse, supra monuimus. Prorsus vero me fugit, qua auctoritate nitens Munkius [230]) Trabeam et Dossenum in togatarum scriptores retulerit. Denique hic commemoranda est incerti auctoris Querulus sive Aularia, quae scripta videtur esse ineunte saeculo quarto post Christum natum [231]).

Spectantibus nobis iam eorum poëtarum numerum, qui fabulas palliatas scripserunt, apertum est, numerum eorum, qui togatas fecerunt, quamvis plures fuisse statui possit, quam quorum nomina scimus, si cum illo comparetur, minimum fuisse; apparet, poëtas Romanos facilius sibi duxisse, Graecas fabulas, paucis mutatis, Latine vertere, quam prorsus novas fingere, aut certe illas ita informare, ut inter eas et recens factas non multum similitudinis restaret [232]).

---

230) de Pompon. Bonon. p. 27. — 231) Vid. Klinkhamerus Prolegg. ad hanc fab. VII. — 232) Rectius du Bosius Réflex. crit. T. I. XXI. scripsisset plusieurs pro un grand nombre in hisce, quae de praetextatis profert: „Quoiqu' il ne nous soit demeuré qu'une Tragédie de cette espèce, l'Octavie qui passe sous le nom de Séneque, nous sçavons néanmoins que les Romains en avoient un grand nombre." Praeter Senecae Octaviam fabulamque, de Balbi quaestoris itinere ad Lentulum compositam, novem fere tantum praetextarum inscriptiones nobis innotuerunt.

FRAGMENTA

FABULARUM TOGATARUM.

A. TOGATAE PRAETEXTATAE.

CN. NAEVII.

ROMULUS.

I.

Varro de L. L. VII. 3. p. 339 ed. Spengel.: „Carĕre a carendo, quod eam (lanam) tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia. Ex quo carminari dicitur tum lana, quum caret eo, quod in ea est nequam. Est lana, quam in Romulo Naevius appellat Oscam, ab Oscis.“ Sic vulgo. Spengelius libros mss. secutus edidit: Carere — spurcitia; ex quo Carminari dicitur tum lana, cum ex ea carent quod in ea haeret; neque est lana quae in Romulo Naevius appellat Asta ab Oscis. Vocabulum quae pro vulgato quam constanter servant libri mss. Pro vulgato Oscam in codd. est osca, asca, asta, hasta. Itaque scribendum arbitror locum hac ratione: „Carere a carendo, quod eam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia, quum ex ea carunt, quod in ea haeret neque est lana; quae in Romulo Naevius appellat Osca, ab Oscis.“ Verba ex quo carminari dicitur tum lana hic supervacanea sunt, et, utcunque interpungitur, concinnitatem loci turbant; ideoque glossam sapiunt. Ad sententiam recte Turnebus: „Purgamenta et sordes lanae per contumeliam et iniuriam summam Oscorum, qui obscoeni habebantur, osca Naevius appellavit, ut Varro interpretatur.“ Cf. Festus in v. Oscum.

II.

Varro de L. L. VII. 6. p. 385 sq. ed. Spengel.: „Multa apud poëtas reliqua esse verba, quorum origines possint dici, non dubito: ut apud Naevium in Hesiona: Enimvero gladii lingula, a lingua; in Clastidio: Vitulantes, a vitula; in Duloreste: Caperata fronte, a caprae fronte; in Demetrio: Persibus (Persibe?), a perite — itaque sub hoc

glossema Callide subscribunt —; in Lampadione: Protinam, a protinus, continuitatem significans; in Agidone: Glucidatus, suavis, tametsi a magistris accepimus mansuetum; in Romulo: Sponsus, contra sponsum rogatus." Bothius postrema sic edidit: Sponsus, consponsus, rogatus, quae omnia ex fabula sumpta esse putat; recte quidem monens, vulgatam lectionem nihil in se continere, cuius inquirenda sit origo. Sed ex caeteris, a Varrone positis, exemplis manifestum est, verba contra sponsum rogatus, quae tamen et ipsa corrupta videntur, explicationem esse eius, quod scriptor ex Romulo attulit. Scribendum existimo: Consponsus, contra sponsus, rogatus. Consponsus debemus Popmae. Varro supra VI. 7. p. 246 sq.: „Spondet —, qui dicit sua sponte Spondeo. Spondet etiam sponsor, qui, idem ut faciat, obligatur. Hinc sponsus, consponsus. Hoc Naevius significat, quum ait Consponsi." Paullus ex Festo: „Consponsos antiqui dicebant fide mutua colligatos." Qui primus scripsit sponsum, pro praepositione habuit contra, quod etiam ad rogatus pertinet.

M. PACUVII.

PAULLUS.

Bothius aliique putant, hanc praetextatam fuisse scriptam de L. Aemilio Paullo, qui Perseum, Macedoniae regem, cepit. Ex fragmentis, quae supersunt paucissima, nihil certi colligi potest. Per se quidem Paulli Macedonici, quem cum Perseo Livius Hist. XLV. 40 vocat documentum humanorum casuum, aptissima erat persona ad fabulae, tragoediae simili, suppeditandum argumentum. Minus tamen mihi videtur probabile, poëtam aequalem suum, cuius historia nondum e longinquitate quadam hominum animis obversabatur, in scaenam introduxisse, etsi vere interdum homines viventes in his fabulis repraesentati sunt, quam potius L. Aemilium Paullum, Macedonici patrem, qui, iterum consul, in funesto illo Romanis proelio, ad Cannas commisso C. Terentii Varronis collegae temeritate, omni culpa carens, supremum diem obiit. Vid. Livius Hist. XXII. 38 sqq. Potuit autem fieri, ut egregia sors filii egregiam sortem patris ita Pacuvio in memoriam revocaret, ut hanc sibi scribendam proponeret fabulam, qua, dum illius virtutes celebrarentur, simul huius, tam eximio genere orti, augeretur gloria, triumphusque ille praeclarus, de Perseo Macedonibusque actus, in spectatorum animis quasi iterum ageretur. Id eo verisimilius est, quod etiam Attio, cur L. Junium Brutum fabula scaenica illustraret, causa exstitisse putari potest D. Brutus, quem familiarem poëtae fuisse testatur Cicero Brut. XXVIII.

I.

Nonius p. 490 ed. Merc.: „Progenii pro progeniei. Pacuvius in Paullo:

Patér supreme nóstrae progenií patris.“

Eadem allata reperiuntur ex Pacuvii Paullo apud Gellium IX. 14. — nostrae. Jos. Scaliger ad Varr. de L. L. VI. p. 68 ed. Durdrecht. a. 1619 nostri. — Ipse Paullus his al-

loqui videtur Jovem, patrem Martis, qui auctor habebatur generis Romani.

II.

Nonius p. 507 ed. Merc.: „Nivit pro ningit. Pacuvius in Paullo:

Sagíttis, plumbo et sáxis grandinát, nivit.“

III.

Nonius p. 510 ed. Merc.: „Celere pro celeriter. Pacuvius in Paullo:

Nunc téte obtestor, célere sancto súbveni
Censóri.“ —

Pacuvius. Sic Jun. marg., item Jos. Scaliger ad Varr. de L. L. VI. p. 68 ed. Durdrecht. et Delrius. Ven. I. II. Par. Merc. Novius. Ald. Bas. Steph. Jun. Naevius. Bothius Novio vindicavit Paullum fabulam. Sed ipsa verba allata prodere videntur praetextatam, quumque ex nullo alio loco verisimile sit, Novium huiusmodi fabulas scripsisse, et Pacuvium Paullum composuisse constet, non dubito, quin illa quoque hinc tracta sint. Quod Bothius Comicc. Lat. fragmm. p. 45 statuit, Novii Paullum intelligendum esse L. Aemilium Paullum Macedonicum, fabulamque fuisse Rhinthonicam sive ἱλαροτραγῳδίαν, id vel ideo probari non potest, quod aliunde non constat, num omnino fuerint Rhinthonicae togatae. — Nunc tete. Vulgo Nunc te, quod versui non sufficit. Scaliger, Delrius, Bothius Nunc ted. — sancto. Jun. facto. — censori. Ven. I. II. Par. censore. — Scaliger et Delrius haec coniunxerunt cum fragm. I. Fortasse recte.

IV.

Priscianus VI. 1. 3. p. 677 ap. Putsch.: „Nec non caetera similiter a genere composita proferebant: caprigenus, terrigenus, taurigenus; idque usus confirmat. Pacuvius in Paullo:

Quae via caprigeno generi gradibilis gressio est.“

Sic vulgo, deperdito quidem metro. Krehlius pro Quae via ex uno cod. edidit Qua via. Idem in tribus aliis codd. et edd. Ven. reperit qui avia vel quia via, quod in quatuor libris mss. esse testatur etiam Delrius. Pro gradibilis Stephanus habet gradibus ex antiqua editione. Pro gressio est unus cod. exhibet gressione, quod falsa ortum

est compendii solutione. Nam antiquitus alterum scribebatur gressioē, alterum gressiōe. Ger. Jo. Vossius scribendum putavit:

— Qua via
Caprigeno generi gressio gradibilis est.

Bothius, probato Qua via, praestare arbitratur copulam inserere post generi non elisum vel positum generid. Verisimillimum videtur:

— Quaé via
Caprígeno generi grádibilisque gréssio est.

Haec est via, inquit, et gradibilis gressio non hominibus, sed capris. Vocabulum que, compendio scriptum, absorptum est sequente g littera. Apud Macrobium Saturn. VI. 5 ex Pacuvii Paullo haec laudantur: Quamvis caprigeno pecori grandior gressio est, quam scripturam, a Delrio praelatam, recte, opinor, cum Vossio reiicit Bothius. „Quantum praesumserit librariorum audacia," inquit Vossius, „vel locus iste argumento erit. — Hic quamvis, illic quae via, sive, ut in plerisque Mssis legitur, quia via; hic pecori, illic generi; hic grandior, illic gradibilis." Vix credibile est, librariorum culpa haec ita immutata esse. Videtur potius alter scriptorum ipse parum accurate verba reddidisse.

L. ATTII.

AENEADAE SIVE DECIUS.

Aeneadae sive Decius iure scribi videtur huius fabulae titulus. Apud Nonium, qui solus eam commemorat, quater legitur Attius in Aeneadis, omisso Decii nomine, octies Attius in Aeneadis aut Decio, semel Attius in Aeneadis vel Decio. Ex fragmentis apparet, poëtam hac praetextata celebrasse imprimis devotionem P. Decii filii in bello, quod Romani gesserant cum Gallis, Samnitibus, Etruscis, Umbris. Rem copiose narrat Livius Hist. X. 26—30. Quum vero duplex sit inscriptio, manifestum est, non id tantum voluisse Attium, ut Decii virtutes laudibus extolleret, sed omnino Aeneadarum, id est, Romanorum, fortitudinem ac patriae amorem illustraret. Decii persona et propter suam gloriam et propter paternam maxime poëtae idonea videbatur, quae Aeneadas repraesentaret. Nec abhorrebat a fabulae argumento persona Fabii, quem Decius in illo bello collegam habuit. Livius Hist. X. 30: „Celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quam mors praeclara P. Decii est; excitataque memoria parentis, aequata eventu publico privatoque filii laudibus.“ Quum et pater et filius pro patria se devovissent, neposque, licet, ut Kordesius ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu apud Romanos, quem Germanice vertit, p. 58 sqq. ostendit, nequaquam eadem sollemni ratione, qua avus et pater, in hostium tela se coniecisset occubuissetque mortem, huic genti quasi fato destinatum videri potuit, ut posthabita sua salute patriae salutem iuvaret. Ac sane iam Decius filius secundum Livium Hist. X. 28 haec pronuntiavit: „Quid ultra moror familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus.“ Eam rem tetigisse Attium, eoque modo praetextatam suam tragoediae reddidisse similiorem, haud est improbabile.

I.

Nonius p. 483 ed. Merc.: „Tumulti pro tumultus. — Attius in Aeneadis vel Decio:

Nihil néque pericli néque tumulti est, quód sciam.“

Nihil. Voss. Both. Nil. — pericli. Sic Merc. Voss. Both. Vulgo periculi. — In Ven. I. II. Par. desideratur Attius — sciam.

II.

Nonius p. 22 ed. Merc.: „Gliscit est congelascit et colligitur, vel crescit, vel ignescit. — Attius in Aeneadis:

Dis summa tibi perduellum est, quorum aut quibus se a partibus gliscunt.“

Haec corrupta sunt. Pro Dis summa Ven. I. II. Par. Dissumam, Ald. Jun. Disumma, Steph. Di summa, Bas. De summa, Jun. marg. D'ecio. Summa. — perduellum. Steph. perduellium. — a partibus. Ven. I. II. Par. apertius. Delrius: „Laudo manum Jos. Merceri, qui: De summa tibi rerum duellum est, quod ab iis se partibus Gliscit: quibus rem summam et patriam quondam adauctavit pater.“ Coniunxit enim haec cum fragm. X. Vossius: „Scriverio non displicebat: Dis summatibus Perduellum est, quorum auguriis gliscunt sese a partibus. Ut sensus perfectio a sequentibus pendeat. — Censeo — Decium post exsecrationem sui quaerere, qua parte maxime hostium violentia grassaretur: mox secutum patris exemplum, ac — in confertissima se hostium tela iaculatum. — Non infeliciter puto corrigebam hocce pacto: Vis summa est ubi perduellûm? quonam aut quibu' se a partibus Gliscunt? Vel, quibus a partibus.“ Bothius: „Hic — videtur esse dialogismus, speculatore vel transfuga nuntiante consulibus, summam hostium adesse Clusii, vel in vicinia: Summa ibi perduellum est. Vid. Liv. 10, 26. Cui respondet alter consulum: Quorum, aut quibus se a partibus gliscunt? Liv. l. l., narrata Scipionis clade ad Clusium: Sunt, inquit, qui Umbros fuisse, non Gallos tradant. N.: Attius Aeneadis: Dis summa etc., in quibus istud Dis, quod tantopere exercet viros doctos, nihil aliud esse mihi videtur quam antecedens syllaba, perperam repetita.“ Magna ex parte recte iudicasse Bothium puto, legendumque:

A. Súmma tibi perduéllium est. B. Quorum? aút quibus se a pártibus
Glíscunt? —

De transfugis Livius Hist. X. 27: „Haec consilia turbarunt

transfugae Clusini tres, clam nocte ad Fabium consulem transgressi; qui, editis hostium consiliis, dimissi cum donis, ut subinde, ut quaeque res nova decreta esset, exploratam perferrent." Summa tibi perduellium est, id est, summa vis hostium in te invasum venit; dictumque hoc puto alteri tantum consuli, qui idem porro interroget. Summa ibi si legeres cum Bothio contra librorum auctoritatem, parum apta esset interrogatio: quibus se a partibus gliscunt? Neque nominatim huc traxerim illud: Sunt, qui Umbros fuisse, non Gallos, tradant, quoniam quaterni illo tempore Romanis fuerunt hostes, Samnites, Galli, Etrusci, Umbri. Vid. Livius l. l.

III.

Nonius p. 139 ed. Merc.: „Minitabiliter pro minaciter. Attius in Aeneadis:

— Cálleti vocé canora,
Fremitú peragrant minitábiliter."

Calleti voce canora. Sic libri mss. et antiquissimae edd. Ed. Jun. Calleci v. c. Fruterius Verisimil. II. 5 scribendum proposuit, non improbante Vossio, Gallanti voce, canoro, ipse dubitans de facinore suo. Lipsius Antiquar. lect. V. 22 restituit Gallei, quod receperunt Mercerius et Scriverius. Delrio in mentem venit Gallici voce c., vel Calles hi devios canoro, vel Cales hi etc. Vossius, quem sequitur Kordesius ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 64, incidit in Gallei voce canora, ac. Bothio verum videtur Collecti voci' canorae, quod probet Livius Hist. X. 29: „Tum collectis omnibus subsidiis, quae ad id tempus reservaverat (Q. Fabius, Decii collega in consulatu), et legiones concitavit, et signum ad invadendos hostes equitibus dedit (mortuo iam Decio). Nec sustinuerunt Samnites impetum." Mihi, vel omisso eorum nomine, Attii locus magis convenire videtur in Gallos, de quibus sic Livius Hist. X. 26: „Ovantesque moris sui carmine;" et X. 28: „Essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque advenit." Neque codicum scripturam depravatam esse statui necesse videtur esse. Calleti intelligi possunt iidem, qui alias dicuntur Caleti, Galleti, Caletae, Caletes, cuius populi nomine Attius omnino appellaverit Gallos. Fremitu significari mihi videtur armorum, equorum curruumque strepitus. Caeterum simile asyndeton, atque in hoc loco est, deprehendes in fragm. VIII.

IV.

Nonius p. 224 ed. Merc.: „Sanguis masculino genere in consuetudine habetur. — Neutro. — Attius — in Aeneadis aut Decio:

Vim Gallicam obduc contra in acie exercitumve
patrum hostili fusum sanguen sanguine."

In edd. Ven. et Par. hic locus depravatus desideratur. — exercitumve. Steph. exercituque. Jun. Scriver. exercituve. Jun. marg. exercitu, Ne. — fusum. Merc. fuso. Hugo Grotius, probante Vossio, emendandum censuit: V. G. o. c. in aciem, qui expiet Paternum hostili fusum s. s. Delrius, posteriori versui medicinam non habens, priorem sic restituit: V. G. o. c. in aciem exercitum. Bothius: „Sic scribamus: — in aciem exercitum. Vae patrium hostili infuso s. s. Vim Gall. contra dictum per anastrophen. Vae cum accusativo etiam alii. Infuso, non fuso. Facile periit per compendium scripta praepositio." Non dubito, quin legendum sit:

Vim Gállicam obduc cóntra in aciem exércitum
Reparátum hostili fúsum sanguen sánguine.

Reparatum, id est, ut reparetur.

V.

Nonius p. 257 ed. Merc.: „Callet significat scit, hoc est, calliditate, quae est urbana scientia. — Attius in Aeneadis aut Decio:

Quód periti súmus in vita atque úsu callemús
magis."

Bothius: „Verba fortasse Fabii, ferociori et aetate et vigore animi, ut ait Liv. 10, 28, Decio suadentis, ut a temere invadendis hostibus abstineat. Insolite dictum periti sumus in vita pro vita." Multum valebat apud Decium Fabii auctoritas. Vid. Livius Hist. X. 25 sq. Periti sumus vita et periti sumus in vita non idem est, ut mihi videtur. Periti sumus vita idem significat, quod periti sumus vitae vel ad vitam; periti sumus in vita, id est, per tempus, quod viximus, periti, id est, periti facti, sumus.

VI.

Nonius p. 123 ed. Merc.: „Ignavit, id est, ignavum fecit. Attius in Aeneadis aut Decio:

— Fateor; sed saépe ignavit fórtem in spe exspectátio.“

Eadem leguntur p. 126 ed. Merc. In cod. Guelph. priore loco haec Attii verba suo loco mota sunt et in sequentibus Afranii versui assuta, in edd. Ven. Par. Ald. Bas. tantum verbum Fateor. Posteriore loco cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. ignabat pro ignavit. Jun. semel tantum haec habet. Bothius scribendum putat fortem spem exspectatio. Fortis in spe est, qui haud facile spem suam deserit, qui spei nimis indulget. Spe fretum, inquit, saepe exspectatio ignavum reddidit. Haec videntur Decii esse verba, respondentis alicui, fortasse Fabio collegae, qui ipsi nescio quid sperandum exspectandumque suaserit.

VII.

Nonius p. 174 ed. Merc.: „Segnitas pro segnitia. Attius in Aeneadis aut Decio:

Et núnc, quae eorum ségnitas, ardét focus.“

quae. Vulgo quod. Correxit Fruterius Verisimil. II. 5. Jun. Eo nunc quod eorum segnitate a. f. Lipsius, probante Delrio: Et nunc, quae eorum segnitas, a. locus.

VIII.

Nonius p. 185 ed. Merc.: „Verruncent, id est, vertant. Attius in Aeneadis aut Decio:

Te sáncte venerans précibus, invicte, ínvoco,
Porténta ut populo, pátriae verruncént bene.“

venerans. Ald. Bas. Steph. Jun. verans. Edd. Ven. et Par. non habent vocabulum. — Portenta. Ven. I. II. portentam. Par. portecta. — ut. Par. aut. — populo, patriae. Delr. popolo, patrio. — verruncent. Ald. Jun. Merc. verruncant. Bas. veruncant. Steph. veruncent. Scaliger ad Varr. de L. L. IV. p. 41 ed. Bip. verrunces. — Recte Bothius contra Delr., Scriver., Voss. Etymol. v. Averruncare, interpungentes Te, sancte, venerans, monet, sancte hic esse adverbium. Invictus dici videtur Iuppiter Victor. Ad explicanda portenta Bothius exscripsit Livii locum Hist. X. 28: „Iterum longius evectos (Romanos) et iam inter media equitum agmina proelium cientes novum pugnae conterruit genus: essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque advenit, et insolitos eius tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pavor dissipat; ster-

nit inde ruentes equos virosque improvida fuga." Sed dubitandum videtur, num talia poëta dixerit portenta. Traxerim potius huc Liv. Hist. X. 27: „Quum instructae acies starent, cerva fugiens lupum e montibus exacta per campos inter duas acies decurrit; inde diversae ferae, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via, cervam Galli confixere. Tum ex antesignanis miles: Illac fuga, inquit, et caedes vertit, ubi sacram Dianae feram iacentem videtis; hinc victor Martius lupus, integer et intactus, gentis nos Martiae et conditoris nostri admonuit."

IX.

Nonius p. 98 ed. Merc.: „Devorare, absumere, eripere. Attius in Aeneadis:

Patrio exemplo et me dicabo, atque animam devorabo hostibus."

et me dicabo. Par. te medicabo. — devorabo. Cod. Guelph. devoro. — Scaliger ad Varr. de L. L. IV. p. 41 ed. Bip. et Delrius: Patrio exemplo me dicabo: animam devorabo hostibus. Vossius, auscultante Kordesio ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 63: Patrio Exemplo dicabo me, atque a. devotabo h. Idem in Etymol. v. Voveo: Patrio exemplo et me dicabo, atque a. devotabo h. Perinde Bothius, versum pro asynarteto habens, composito ex troch. dim. et iamb. dim. Jo. Cauchius etiam apud Nonium restituere voluit Devotare pro Devorare. Sed videtur potius Marcellus aut, ut ait Hadr. Junius, caligantibus oculis legisse, aut corrupto exemplari usus esse. Veram lectionem autem latere arbitror in eo, quod offert cod. Guelph., versumque restituendum hoc modo:

Pátrio exemplo et mé dicabo; atque ánimam devoto hóstibus.

devorabo scripserunt nonnulli, quod antecedit dicabo. Hostibus, id est, in perniciem hostium. Livius Hist. X. 28 Decium filium, cuius haec sunt verba, secundum sollemnes precationes adiecisse dicit: „Prae se agere sese formidinem ac fugam, caedemque ac cruorem, coelestium, inferorum iras; contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium; locumque eundem suae pestis et Gallorum ac Samnitium fore." De sollemnibus in devotione pro patria precationibus cf. Livius Hist. VIII. 9.

X.

Nonius p. 75 ed. Merc.: „Adauctavit, auxit. Attius in Aeneadis:

Quíbus rem summam, pátriam nostram, quóndam adauctavít pater.“

Apte Bothius ad h. l.: „Quibus, quibus virtutibus, pietate et mortis contemtu, pater P. Decius remp. auxerit, easdem se quoque nunc usurpaturum ait Decius.“ Sed vulgo legitur Quibus rem summam et patriam etc., in quibus intelligi non potest quid sit res summa.

XI.

Nonius p. 200 ed. Merc.: „Castra generis sunt neutri. Feminini Attius in Aeneadis aut Decio:

Castra haec vestra est, optume essis meritus a nobis.“

In Ven. I. II. Par. haec desiderantur. Bothius: „Fortasse Decius, dum in eo est, ut se confertissimae Gallorum inferat aciei, conversus ad milites, Castra, inquit, haec hostium vestra sunt. Et M. Livius Pontifex: Optime escis meritus de nobis, Deci, si ita feceris, ut te velle significas.“ Mihi neque illud probabile videtur, Decium ita locutum esse, nec Livium ad mortem obeundam eum esse cohortatum. Livius Hist. X. 29: „Pontifex Livius, cui lictores Decius tradiderat, iusseratque propraetorem esse, vociferari: Vicisse Romanos, defunctos consulis fato; Gallos Samnitesque Telluris matris ac deorum Manium esse; rapere ad se ac vocare Decium devotam secum aciem; Furiarumque ac formidinis plena omnia ad hostes esse.“ Itaque, ad milites conversus, Livius pontifex pronuntiaverit haec, ut correxit Vossius:

— Cástra haec vestra est. 'Optume est
'Is meritus de nóbis. —

XII.

Nonius p. 504 ed. Merc.: „Sonit pro sonat. Attius in Aeneadis aut Decio:

Clamóre et gemitu témplum resonit coélitum.

Clamore et gemitu militum, ut videtur, propter Decii mortem. Livius Hist. X. 29: „Consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inveniri non potuit. Postero die inventum relatumque est cum multis militum

lacrimis. Intermissa inde omnium aliarum rerum cura, Fabius collegae funus omni honore laudibusque meritis celebrat."

BRUTUS.

Argumentum fabulae manifestum est ex inscriptione et reliquiis. Repraesentata erat in ea regum exactio consulatusque constitutio. Rem narrat Livius Hist. I. 57 sqq. Causam huius fabulae scribendae fortasse exstitisse D. Brutum. Attii familiarem, diximus ad Pacuvii Paullum.

I.

Varro de L. L. VI. 2. p. 190 ed. Spengel.: „Inter vesperuginem et iubar dicta nox intempesta, ut in Bruto Cassii, quod dicebat Lucretia:

Nocte íntempesta nóstram devenít domum."

Ibid. VII. 4. p. 353: „Nunc de temporibus dicam. Quod est apud Cassium: Nocte int." etc. Cassii et Cassium in his depravatum esse, non est dubium vel ideo, quod uterque Cassius tragicus aetate minor erat, quam ut Varro auctoritatem eorum attulisse existimari possit. Vid. Ger. Jo. Vossius de Hist. Lat. I. 21, de Poët. Lat. II. p. 23 sq.; Both. Tragicc. Lat. fragmm. p. 261 sq. Turnebus et Guil. Canterus Novar. lect. V. 26 restituendum putarunt C. Accii nomen. Aliunde autem constat, non C., sed L. fuisse praenomen poëtae tragici. Quare praeferendum est, quod proposuit Jos. Scaliger, Attii et Attium; nisi potius scribendum L. Attii et L. Attium. Apud Steph. versus legitur inter Incerta Accii. — devenit. Pro eo in nonnullis libris mss. est advenit, vel devenit ad, quod Steph. quoque offert. Verissimum videtur devenit. — Ad explicandam loci sententiam facient Livii verba Hist. I. 58: „Sp. Lucretius cum P. Valerio, Volesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem moestam in cubiculo inveniunt. Adventu suorum lacrimae obortae; quaerentique viro: Satin' salvae? Minime, inquit: quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Caeterum corpus est tantum violatum, animus insons: mors testis erit. Sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui

hostis pro hospite priore nocte, vi armatus, mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium."

II.

Cicero de Divinat. I. 22: „Cuiusnammodi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Attii loquitur ipse:

Quum iám quieti córpus nocturno ímpetu
Dedí, sopore plácans artus lánguidos,
Visum ést in somnis, pástorem ad me appéllere
Pecús lanigerum exímia pulchritúdine;
Duos cónsanguineos árietes inde éligi,
Praeclárioremque álterum immoláre me;
Deinde eiús germanum córnibus connítier
In me árietare, eoque íctu me ad casúm dari;
Exín prostratum térra, graviter saúcium,
Resupínum in coelo cóntueri máxumum ac
Miríficum facinus: déxtrorsum orbem flámmeum
Radiátum solis líquier cursú novo."

V. 3. *Visum est in somnis pastorem.* Sic vulgo; quam lectionem, codicum auctoritate nitentem, servat etiam cum Mosero Orellius, non tamen improbans, quod offerunt ed. Lambin. ann. 1584 in marg. et ed. Davis. altera, *Visu'st in s. pastor.* Perinde Bothius, quum in prima omnium ed., item in Gruteriana, sit *Visum est in s. pastor*, cum Vossio scripsit *Visust* (Voss. *Visu'st*) *in s. pastor.* Eandem scripturam firmant Marsina, Juntina et Victoriana, in quibus est *Visus est in s. pastor*; ut, quod ad librorum auctoritatem attinet, difficile dictu sit, utra harum lectionum praeferenda sit. Per se tamen, quoniam sequentes accusativi casus cum infinitivis omnes pendent a *Visum est*, nec causa apparet, cur poëta duas constructiones consociaturus fuerit, alteram illam praestare puto. Prorsus autem ferri non posse arbitror, quod ediderunt Schuetz. et Nobb., *Visu' st in s. pastorem.* — V. 4 sq. *Pecus lanig. exim. pulchr.; Duos cons.* Orellius: „Difficile dictu est, utrum interpungendum sit, ut nos cum ceteris fecimus, an: *Pecus lanigerum; eximia pulchritudine Duos cons.*" Dubitare vix licet, quin recte interpungatur in fine versus, ut versus una cum sententia terminetur, neve tantum duo illi, L. Junius Brutus eiusque frater, sed omnes proceres pecus eximia pul-

chritudine dicantur. Pro Duos Bothius excudi iussit Duo, ut frequentior sibilus tolleretur. Quod si probares, permulti alii quoque loci tibi mutandi essent. Caeterum in codd. et antiquioribus edd., ut apud Steph. quoque, v. 4 et 5 inverso ordine leguntur. Emendavit Muretus. — V. 6. immolare. Perperam Steph. Lambin. Delr. Scriv. Both. involare. Manifesto enim hoc voluit poëta Tarquinium dicere: Alterum immolavi, alter, ut fratrem ulcisceretur, cornibus in me invasit. Livius Hist. I. 57: „Comes his (T. et Arunti Tarquiniis, ad oraculum proficiscentibus) additus L. Junius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus, iuvenis longe alius ingenio, quam cuius simulationem induerat. Is, quum primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audivisset,“ et quae sequuntur. Aries igitur immolatus fingitur L. Junii Bruti frater interfectus; arietans est ipse L. Junius Brutus. Praeclarior dicitur ille alter, quoniam ingenii sui facultates non, ut frater, occultaverat. — V. 10. Resupinum in coelo. Minus recte Orellius cum aliis post Resupinum interpunxit. Nam arte coniungenda sunt prostratum terra Resupinum contueri. Alia constructione et ex parte aliis verbis poëta dixisset resupinus humi iacens contuebar. Bothius annotavit: „Versu 10. loquitur ut homo Graecus, de coelo servans, itaque in septemtriones conversus, et a dextra habens orientem, quo mirum erat ferri ab occasu solem.“ Non constiterat tamen resupinus, ut de coelo servaret, sed prostratus, capite ad meridiem verso, forte coelum adspiciebat. — maxumum ac Mirif. Sic hodie vulgo. Olim distinguebant maxumum Ac mirif., quod metrum non fert. — V. 12. liquier. Orellius: „linquier. Edd. aliq. prob. Grut. Recepit Lallemand. — fluere Mars. e gloss. — nitier Davis. susp.“ linquier, verbum quietis notionem complectens, hoc loco est alienum; fluere metro repugnat; nitier non esset spernendum, si codicum auctoritate niteretur. Bene, opinor, Bothius: „Radiatum habeo pro supino, ne frigeant simul illata, praesertim sine copula, adiectiva duo, flammeum et radiatum. Dicitur orbis solis liquier, i. e. quasi diffluere et spargi per coelum, dextrorsum, ut radiet cursu novo.“

III.

Cicero l. c. sic pergit: „Eius igitur somnii a coniectoribus quae sit interpretatio facta, videamus:

Réx, quae in vita usúrpant homines, cógitant, curánt, vident,

Quaéque agunt vigilántes agitantque, éa si cui in somno áccidant,
Mínus mirum est; sed dí rem tantam haud témere improviso ófferunt.
Proín vide, ne, quem tu ésse hebetem députes aeque ác pecus,
'Is sapientiá munitum péctus egregiúm gerat,
Téque regno expéllat. Nam id, quod dé sole ostentum ést tibi,
Pópulo commutátionem rérum portendít fore
Pérpropinquam. Haec béne verruncent pópulo: nam quod ad déxteram
Coépit cursum ab laéva signum praépotens, pulchérrime
Aúguratum est, rém Romanam públicam summám fore.“

V. 1. Rex. Codd. aliquot et edd. Junt. Victor. Res. — V. 2. agunt. Davis. aiunt. — accidant. Sic cum aliquot codd. Davis. et Hotting. Vulgo accidunt. Illud praeferendum videtur, quod hic non rei, vere exstantis, sed cogitatae, quae possit fieri, conditio exprimitur. — V. 3. Minus mirum est. Sic vulgo, nisi quod nonnulli scribunt Minu'. Mars. mirum est minus. Cum codd. Junt. Victor. Davis. Moser. Orell. Minu' mirandum est, quod quidem, ut nos versum restituimus, metro adversatur. — sed di rem tantam haud temere improviso offerunt. Libri mss. et antiquae edd.: sed in re tanta haud temere improviso offerunt. Unus cod. habet t. imp. se off. Steph. Delr. Scriv. temere visa offerunt. Davisius suspicatus est temere visa se off., quod receperunt Schuetz. Moser. Nobbius. Hotting. coniecit temere invisa se off. Orellius putat, offerunt fortasse glossae loco positum fuisse, quod verum verbum expulerit, neque reprehendi posse: Sed in re tanta haud temere improviso ingruunt. Quorum verborum sententia mihi non liquet. Vossius scribendum opinatus est: sed tanta temere haut in re se visa offerunt, putans, in re se visa corruptum esse in improviso. Bothius edidit improvisa offerunt, ut offerunt positum sit pro offeruntur. Omnes igitur in postremis verbis corruptelam quaesiverunt, nec quisquam docuit, quid sibi vellet in re

tanta. Totius loci sententiae ratio haec est: Si cui res, quae ex consuetudine veniunt, in somno appareant, non mirum est, nec quidquam iis portendi existimandum; sed res extraordinarias, quae praeter vivendi consuetudinem accidunt, dii haud temere, id est, non sine causa, improviso offerunt. Caeterum facillima est mutatio verborum sed ī re tanta in seddi rē tantā. — V. 4—6. egregium. Delr. egregia. Both. egregie. Utroque carere possumus. Ad explicandum locum haec suppeditat Livius Hist. I. 57: „Ergo (L. Junius Brutus) ex industria factus ad imitationem stultitiae, quum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen, ut sub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora sua." — ostentum. Codd. aliquot et Mars. ostensum. — V. 7 sq. fore Perpropinquam. Haec. Sic cum codd. Davis. Lallemand. omnesque recentiores. Mars. Junt. Victor. Manut. fore per propinqua. Haec. Steph. fore. Per propinqua haec. Gulielm. et Gruter. probarunt fore. Perpropinqua haec. — verruncent. Nonnulli codd. averruncent, quod, probatum a Grutero, merito damnat Orellius. Sed fort. leg. verruncet. Verruncent, vertant. Pacuvius in Periboea ap. Non. p. 185 ed. Merc. v. Verruncent: „Precor, veniam petens, ut, quae egi, ago, axim, verruncent bene." Livius Hist. XXIX. 27 Scipionem Africanum maiorem pronuntiantem facit: „Divi divaeque, maria terrasque qui colitis, vos precor quaesoque, uti, quae in meo imperio gesta sunt, geruntur postque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanae, sociis nominique Latino — bene verruncent." Cf. Attii Aeneadarum sive Decii fragm. VIII. Fuit haec sollemnis precandi formula, antiquiori sermoni conveniens. — nam quod ad dexteram. Vossius, Creticum evitaturus, coniecit Nam quod dexterum, vel Nam ad quod dexteram, quae verborum positio durissima est. Priorem coniecturam haud improbat Bothius, nisi liquescere putandum sit quod, sicut interdum fiat apud hos priscos, provocans ad indicem Plaut. v. Vocales breves elisae. Videtur mihi potius ad, licet ante consonantem positum, pro brevi syllaba accipiendum esse, ut nam quod ad dactylus sit. Similis est, ut quidem legitur in codd. et antiquissimis edd., locus in Terent. Andr. V. 1. 11:

„Fíliam darem ín seditionem átque in incertas núptias."

Item IV. 3. 17:

„Proh Júppiter! Quid est? Spónsae pater intérvenit."

Eunuch. I. 2. 109:

„Tu, Pármeno, huc fac illi ádducantur. Máxume."

Item II. 1. 19:

„Dí boni, quid hoc mórbi est? adeon' hómines immutárier?"

Plures loci, his similes, legenti tibi facile occurrent. Si quid mutandum esset, nullo negotio scribi posset quod enim ad dexteram. — V. 9. Coepit. Steph. Scriver. Voss. Cepit.

IV.

Cicero pro P. Sextio LVIII.: „Et quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, quum ita dolenter ageret causam meam, ut vox eius illa praeclara lacrimis impediretur. Neque poëtae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt; eaque populus Romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit. Utrum igitur haec Aesopum potius pro me aut Attium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto:

Túllius, qui líbertatem cívibus stabilíverat.

Millies revocatum est." Bothius: „Prolepsis haec est, cui non convenit stabiliverat, convenit stabiliverit, futuri tempus exacti, quomodo scripsisse Attium puto, praedicentem sub aliqua persona, fore, ut longo post tempore Romani, sicut tum a Bruto, sic a similis viro ingenii serventur, Cicerone." Mira opinio. In capitibus LVI—LVIII. orationis, pro P. Sextio habitae, plures, ex fabulis scaenicis desumpti, loci positi sunt, qui tum ab actore tum a spectatoribus, quamvis poëtae, unde fabulae illae erant profectae, nunquam de ea re cogitavissent, vel ad Ciceronem vel omnino ad illius temporis reipublicae statum, quum huc quadrarent, relati sint. Eo pertinet etiam versus, ex Attii Bruto petitus, quem, quoniam optime in ipsum dici potest, Cicero et ipse, ac si de ipso factus sit, ad se refert, ut laudem, alii eo tributam Tullio, sibi vindicet. Tullius autem ibi commemoratus profecto nemo alius est, nisi Servius Tullius rex, de quo Livius Hist. I. 48: „Servius Tullius regnavit annos quatuor et quadraginta, ita ut bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis aemulatio esset. Caeterum id quoque ad gloriam accessit, quod cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. Id ipsum tam mite ac tam moderatum imperium tamen, quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam auctores sunt, ni scelus intestinum liberandae patriae consilia agitanti intervenisset." Et I. 60: „Duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt, L. Junius Brutus et L. Tarquinius Collatinus." Quod C. J. Grysarius perhibet in commentatione, quae inscribitur: Ueber den Zustand der

Roem. Buehne im Zeitalter des Cicero, in Allg. Schulztg. ann. 1832. II. 45. p. 353, Aesopum, ut versum ad Ciceronem referre posset, pro alio nomine, quod a poëta profectum fuerit, Tullii pronuntiasse, id verum non esse, ex ipsius Ciceronis verbis elucere puto. Caeterum hoc fragm., ut V., prolatum videtur in deliberatione de administranda republica.

V.

Varro de L. L. V. 14. p. 85 ed. Spengel.: „Consul nominatus, qui consuleret populum et senatum; nisi illinc potius, unde Attius ait in Bruto:

— Qui recte cónsulat, consúl cluat.“

consul cluat. Codd. plerique consulciat vel consulcia; nonnulli consul fiat, quae est vulgata lectio. Ant. Augustin. Jos. Scalig. ad Varr. de L. L. V. p. 75 ed. Bip. Delr. Scriv. Voss. Etymol. v. Consul, Both. consul fuat. Turneb. confulciat. Niebuhr. Hist. Rom. T. I. p. 543 ed. II. consul siet. Non agitur de eo, quid fiat aut faciat aut sit is, qui recte consulat, sed quomodo appelletur. Unde patet, verissimum esse cluat, quod indagavit Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 712, probante Scaligero ad Fest. v. Consulas.

C. CILNII MAECENATIS.

OCTAVIA.

Priscianus X. 8. 47 p. 902 sq. ap. Putsch.: „In to c antecedente invenio pecto, cuius praeteritum plerique pexui, Asper tamen pectivi, Charisius pexi protulerunt. Maecenas in Octavia:

Pexísti capíllum natúrae munéribus
Gratum." —

Octavia. Sic vulgo legitur, nec sine codicum auctoritate. Krehlius ex quinque codd. edidit Octaviam, in Indice scriptorum p. 574 coniiciens octavo, quod nihili videtur. Facile transire potuit Octavia vel Octaviam in octavo, non item hoc in illud. Cf. annott. ad Titinii Quint. Unus codd. Krehl. habet VIIII. Delrius Syntagm. trag. Lat. T. I. p. 28: „C. Cilnius Maecenas, citante Seneca composuit Prometheum, et citante Prisciano Octaviam. Sed profecto vel mendosus est Priscianus; vel Octavia cuiuspiam recentioris est Maecenatis. Si Melissi Maecenatis contendas; — vicissim hanc Octaviam non tragoediam, sed comoediam fuisse contendam. — Verum putarim potius Cilnii Maecenatis Octaviâ, infelix Marci Antonii et Octaviae matrimonium descriptum. vel non fabulam, sed quid aliud: nam constanter m. s. Prisciani lib. 10. habent, Maecenas in Octaviam." Non est verisimile, licet plures fuerint Maecenates (vid. Meibomii Maecenas p. 4 sqq.), alium hic significari, atque clarum illum C. Cilnium, qui usitate sic dicitur. Quod autem ad librum laudatum attinet, Kordesius ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 66, Delrii testimonio deceptus, eam illius amplectitur opinionem, qua hic non fabula intelligatur, licet Meibomius l. c. p. 148 Octaviam tragoediam dixerit. Scriverio Maecenatis Octavia pro tragoedia habenda non videtur propter verba allata, quae Bothius, de ipso libro praeter Delrii et Scriverii opiniones nihil proferens, sic corrigenda putat: Pexti capillum naturai munere Gratum. In fabulam scaenicam verba laudata optime quadrant, quumque Octavia non minus facile in Octaviam, quam hoc in illud mutari potuisse videatur, et per se quoque verisimilius sit, Maecenatem Octaviam fabulam scripsisse, quam, quum praesertim id nomen gereret Augusti soror, aliquid in Octa-

viam nescio quam, vix dubitandum videtur, quin vere fuerit Octavia fabula, a Maecenate scripta. Quare autem verba, quae grammaticus ex ea ponit, si sententiam eorum spectes, locum habere non potuerint vel in tragoedia, non video; et ex metro solo, quod Bacchiacum videtur, hic iudicare maxime periculosum est. Quum igitur ex his nihil colligi possit, et Octaviae nomen multo aptius videatur praetextatae, quam tabernariae, in praetextatas referre non dubito hanc fabulam; qua descriptum fuisse M. Antonii et Octaviae matrimonium vel potius divortium, id eo credibilius mihi videtur, quod sic fieri potuit, ut ad huius imitationem Senecae fabula cognominis componeretur. — Pro gratum unus codd. Krehl. datum.

A. PERSII FLACCI.

Suetonius Tranquillus in Vita poëtae: „Scripserat etiam in pueritia Flaccus praetextam, Vescio." Wolfius: „Additur hoc (Vescio) in pluribus codd. Quid id sit, non liquet, nisi forte confictum nomen praetextatae fabulae, a vescendo. Sic probabiliter Barth. Adv. 2, 27." Praetextarum nomina fingi non solebant; et, si vere finxisset Persius tale nomen, legeretur saltem apud Suetonium Vescionem. Non dubito igitur, quin in illo verbo lateat aliquod nomen historicum. Fortasse poëta Quinctilii Vari tristem sortem hac fabula celebraverat.

CURIATII MATERNI.

CATO.

Fuit procul dubio Cato Uticensis, quem Maternus hac fabula illustrandum sibi sumpserat. In Dialogo de oratoribus II. sq. haec legimus, ad ingenium eius intelligendum haud inutilia: „Postero die, quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, quum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento, sui oblitus, tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar. — Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum et, quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem deprehendimus. Tum Secundus: Nilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares et, sublatis, si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem? Tum ille: Leges tu quidem, si volueris, et agnosces, quae audisti. Quodsi qua omisit Cato, sequente recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi.“ Et X.: „Effervescit — vis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendis. Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.“

DOMITIUS NERO.

Sic fabulam inscriptam fuisse existimo, quum alio loco commemoretur Materni Domitius, alio eiusdem Nero; quas duas diversas fuisse praetextatas opinantur, non reputantes,

ut videtur, Neronem ex gente Domitia oriundum fuisse. Vid. Suetonius Neron. I. sqq. Unam eandemque hanc fuisse fabulam, intelligitur etiam ex locis, ubi eius mentio fit. Prior est in Dialogi de oratoribus cap. III.: „Adeo te tragoediae istae non satiant —, quo minus — omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten consumas? quum tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent; quibus vix sufficeres, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graecorum fabulis aggregares.“ Alter legitur in eiusdem libri cap. XI.: „Ego —, sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum ingredi famam auspicatus sum, tum quidem, quum in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi.“ Quodsi Nero fabula diversa fuisset a Domitio, priore loco non tantum Domitium et Catonem enumeratas reperiremus. Ut posterior locus melius intelligatur, ex Taciti Ann. XV. 34 pono haec: „Vatinius inter foedissima eius (Neronis) aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus; primo in contumelias assumptus, deinde optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret.“

INCERTORUM AUCTORUM.

B A L B U S.

Sic fortasse inscripta fuit praetexta, quam Balbus quaestor de itinere suo ad Lentulum componi iusserat; de qua supra exposuimus in dissert. de tog. II.

M A R C E L L U S.

Diomedes III. p. 487 ap. Putsch.: „In praetextata — scribitur Brutus vel Decius vel Marcellus.“ Brutum et Decium Attius docuit: fortasse idem etiam Marcellum scripsit. Si vere, ut videtur, eiusmodi praetextata exstitit, in ea repraesentatus fuerit M. Claudius Marcellus, qui quintum consul, Hannibalis insidiis circumventus, naviter pugnans prope a Venusia occisus est. Liv. Hist. XXVII. 26 sq. Cf. Kordesius ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 66 sq.

S C I P I O.

Rhabanus Maurus de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon.: „In tragoedia heroës introducuntur —; in praetextata autem — Brutus vel Decius; item Marcellus vel Africanus, et his similia.“ Ambiguum hoc est testimonium. Fortasse Rhabano tantum apta videbatur praetextatae persona Africani (Scipionis Africani maioris); fortasse etiam hoc scripsit, Ennii Scipionem perperam pro fabula scaenica habens.

B. TOGATAE TABERNARIAE.

CN. NAEVII.

CLASTIDIUM.

I.

Varro de L. L. VII. 6. p. 385 ed. Spengel.: „Multa apud poëtas reliqua esse verba, quorum origines possint dici, non dubito: ut apud Naevium — in Clastidio: Vitulantes, a vitula.“ Clastidio. Unus cod. Paris. cassidio.

II.

Varro de L. L. IX. 46. p. 513 sq. ed. Spengel.: „Ut signa, quae non habent caput aut aliquam aliam partem, nihilo minus in reliquis membris eorum possunt esse analogiae, sic in vocabulis casuum possunt item fieri, ac reponi, quod aberit, ubi patietur natura et consuetudo; quod nonnunquam apud poëtas invenimus factum, ut in hoc apud Naevium in Clastidio:

Vita ínsepulta laétus in patriám redux.“

laetus. Legitur etiam lectus, quod minus accommodatum videtur sententiae. — redux. Nonnullae edd. reduxit vel redux it. — Insepulta, non sepulta, id est, ut videtur, non exstincta. Obscuriora etiam sunt Varronis verba. Ad casuum intelligendum est analogiae. Naevii autem versum attulisse videtur scriptor ob insepulta, in quo vocabulo reponitur in praepositio.

TITINII.

Pauca nobis veteres tradiderunt de hoc togatarum poëta, cuius nomen tum in antiquis libris tum a viris doctis modo Titinius modo, et multo saepius quidem, Titinnius scribitur. Sed vere eum Titinium appellatum esse, intelligitur e Sereni Sammonici de Re medica cap. LIX. ed. Burmann., ubi de infantibus dentientibus vel strige inquietatis v. 1044 sqq. haec leguntur:

„Praeterea si forte premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exsertis ubera labris,
Allia praecepit Titini sententia necti,
Qui veteri claras expressit more togatas.“

In tertio horum versuum reperitur quidem etiam tundi pro Titini et Vecti pro necti; sed plerique omnes codices versum offerunt, quemadmodum nos eum cum Burmanno scripsimus. Et recte se habere Titini, docet etiam sequens versus, qui manifesto indicat, in antecedentibus non medici, sed togatarum scriptoris nomen positum esse. Qui enim Vecti substituerunt, propter versuum argumentum cogitasse videntur de Vectio (Vettio) Valente medico, de quo vid. Glandorp. Onomast. hist. Rom. v. Vectii. Bothius tamen, cui auscultavit Weichertus de Titio Septimio poëta p. 5, cum Jacobo Nicolao Loensi Miscellan. epiphyllid. IX. 18, Grut. Thes. crit. T. V. p. 672, ex unius huiusce loci depravata scriptura Titinio praenomen Vectio (Vettio) vindicavit, ineptam dicens lectionem necti. Fortasse aliter iudicasset vir doctus, si ei innotuissent, quae ad locum explicandum annotavit Keu-

chenus: „Voluit allia Titinius — instar sertorum et corollarum necti, contra invasionem strigum. Paris medicinae contra maleficia multa narrantur a Plinio et Marcello (Empirico). Supra Serenus (I. 16 sq.):

Vel quae septenis censentur gramina nodis
Utiliter nectis, vel corno ex arbore sertum."

Aliud praenomen poëtae dedit Lilius Gregorius Gyraldus de Poëtar. hist. VIII., Opp. T. II. p. 424, qui eum C. Titinium appellat. Quod qua auctoritate nitatur, me fugit. Cognomen ei fuisset Longo, si verum esset, quod perhibet Andreas Schottus de Priscis Rom. gentibus ac familiis v. Titinia gens, proprium fuisse Titiniae gentis tantum cognomen Longi. Fuerunt autem alia quoque cognomina in eadem gente. Vid. Glandorp. Onomast. v. Titinnii. Recte vero idem Schottus monere videtur, Livium III. (24) et V. (12) auctorem laudans, gentem Titiniam familias habuisse et patricias et plebeias, quum Glandorpius omnes Titinios plebeios dixerit. Num vero Titinius poëta patricius an plebeius fuerit, non constat.

Neque tempus, quando vixerit, certo indicari potest. Apud Jo. Lydum de Magistratt. reip. Rom. I. 40, ubi de secundi belli Punici tempore loquitur, haec verba exstant: „*Τότε Τίνιος, ὁ Ῥωμαῖος κωμικὸς, μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ,*" in quibus Fussius editor suspicatus est pro *Τίνιος* legendum esse *Τιτίνιος;* qua quidem mutatione nihil potest esse facilius. Sed certum est, illo tempore primum Livium Andronicum fabulas dramaticas, Latine conscriptas, docuisse; is toties a scriptoribus auctor fabularum scaeni-

carum apud Romanos illo tempore exstitisse dicitur, ut etiam Lydus hunc significare et potuisse et voluisse existimandus sit, recteque alii pro *Τίνιος* restituerint *Αἴβιος*. Cf. Reuvensius Collectan. litt. p. 26 sqq. et Osannus Analect. crit. p. 44. Videamus igitur, nonne aliunde quid, quod veri non sit dissimile, elicere possimus. M. Terentius Varro apud Charisium II. p. 215 ed. Putsch. antiquissimus est scriptorum, qui Titinii faciunt mentionem. Itaque hic poëta aut Varronis aequalis fuit, aut ante Varronem vixit. Eum ante Varronem floruisse, intelligitur ex eius verbis, quae Charisius I. p. 40 ap. Putsch. servavit: „Velim ego osse arare campum cereum." Nam mos osse scribendi iam obsoleverat temporibus Varronis, ex quo Charisius l. c. haec duo verba attulit: „Osse scribebant." Cf., quae annotavimus ad Titinii Incertt. fragmm. XIX. Porro tibi facile persuadebis, eum aetate Varronem antecessisse, si fragmenta eius perlegeris. Quin in istis fragmentis nonnulla reperies, quae vel Terentii comici temporibus iam minus usitata fuisse videantur. Nec prorsus improbabile est, Varronem propter hoc ipsum, quod Titinius Terentio fuit antiquior, huius nomen post illius posuisse in hisce, quae Charisius II. p. 215 ap. Putsch. ex eius de Latino sermone libro quinto laudat: „*Ἤθη* nulli alii servare convenit, quam Titinio et Terentio; *πάθη* vero Trabea et Attilius et Caecilius facile moverant." Ubi simul statuendum sit, quod etiam facile statui potest, Caecilium antiquiorem quidem non fuisse, quam Trabeam Attiliumque. Ex eo vero, quod scripsit moverant*), non moverunt vel movebant,

*) Quod quare Bothius Comicc. Lat. fragmm. p. 127 in moverunt sibi mutandum duxerit, non video.

concludere liceat, Caecilium cum Trabea et Attilio antiquiorem fuisse non solum quam Terentium, sed etiam quam Titinium. Neque igitur multum errare videbimur, si Titinium post Caecilium et ante Terentium floruisse dicemus. Atqui de Caecilio Hieronymus scribit in Chronico Eusebiano: „Olympiadis CL. anno II. (id est, anno U. C. DLXXV. sive ante Chr. n. CLXXIX.) Statius Caecilius, comoediarum scriptor, clarus habetur;" ac Terentius, qui in ipso flore suo mortuus est anno U. C. DXCVI. sive ante Chr. n. CLVIII., floruisse dici poterit circa annum DXCIV. U. C. sive ante Chr. n. CLX. Vid. Ger. Jo. Vossius de Poëtis Lat. I. p. 9 sq. Itaque Titinius floruerit circa annum DLXXXIV. U. C. sive ante Chr. n. CLXX., ut per aliquod tempus etiam utriusque, et Caecilii et Terentii, aequalis fuerit.

De loco porro, ubi Titinius poëta natus sit et vixerit, non magis quidquam traditum est. Sed ex hoc ipso silentio fortasse colligere licet, eum in ipsa urbe natum esse atque habitasse. Cf., quae infra, ubi de Afranio agimus, ea de re exponuntur.

Quem locum supra ex Sereno Sammonico attulimus, ex eo apparet, Titinium composuisse fabulas togatas; idem liquet ex fragmentis eius, simul, eas fuisse togatas, quae proprie hoc nomine appellarentur, sive, ut posterioribus temporibus eas etiam dicebant, togatas tabernarias. Christophorus Wasius exercit. III. Animadvers. Nonianarum teste Fabricio Biblioth. Lat. IV. 1 ex Sammonici loco posito collegit, Titinium etiam de medicina aliquid tradidisse; sed multo facilius statuere licet, in fabula aliqua eum dedisse praeceptum, quod a Sereno ex eo affertur. Omni

vero caret probabilitate illud, in quod incidit Munkius de Pomponio Bon. p. 57, hunc togatarum scriptorem Atellanas quoque composuisse. Nam procul dubio Titinius ante Pomponium vixit; et si Pomponius Atellanarum artificiosae compositionis primus auctor habendus est, patet, neminem ante eum eiusmodi fabulas scriptas edidisse. Omnino Titinii reliquiae ita sunt comparatae, ut fabulas togatas tantum prodant, quarum quatuordecim fere adhuc supersunt tituli. Non infelicem autem eum in istis fabulis componendis fuisse tum Serenus est testis, qui eas claras dixit, tum Varro probat, quum ei tantum et Terentio ἤϑη, id est, mores sibi constantes, servare contigisse scribit. Fragmenta eius pauciora sunt, quam ut inde certo iudicare possis, quam felix fuerit in argumentis inveniendis. Sententias autem in illis adhuc nonnullas reperimus. Quod ad sermonem eius et metra attinet, plus similitudinis habuisse videtur cum Plauto, quam cum Terentio. Nam praeterquam quod apud eum adhuc plura antiquiora verba et verborum formas reperimus, etiam in novis fingendis vocabulis magna cum facilitate versatus videtur; et in metris usurpandis maiorem apud eum, quam apud Terentium, varietatem deprehendimus. Nec tamen semper versus Titinii aeque politi apparent, atque Terentiani. Quamquam de hac re, quum fragmenta illius tot experti sint casus, hodie vix certo iudicari potest. Porro etiam in iocis fingendis non multum discessisse videtur a Plauto. Sed de his, quae postrema diximus, videantur ipsa fragmenta.

ARATRUM, BARATHRUM, BARBARUS.

Vidd. annott. in fine Barbati fragmm.

BARBATUS.

I.

Nonius p. 3 ed. Merc.: „Phrygiones — Titinius in Barbato:

— Phrygio prímo fui, benéque id opus
Sciví. Reliqui acús aciasque hero átque herae
Nostrae.“ —

primo fui. Sic Both. Libri fui primo. — beneque. Ven. I. II. Par. bene. Fortasse scribendum Phrygio fuvi primo, bene id opus etc.

II.

Nonius p. 499 ed. Merc.: „Dativus pro accusativo. Titinius in Barbato:

— Ubi ambitiónem virtúti
Videás antecédere, —

pro virtutem antecedere.“ Barbato. Sic Merc. Edd. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. aratro. Jun. Barathr. — Ubi ambitionem virtuti. Ven. I. II. Par. Ubi ambitioni virtutem, omissis verbis pro virtutem antecedere. Ald. Bas. Steph. Ubi ambitioni virtuti. — Numerus videtur Bacchiacus; nisi forte, ut exsistat iambicus, cum Bothio transponenda sunt verba videas antecedere.

III.

Nonius p. 552 ed. Merc.: „Veles, levis armatura. Titinius in Barbato:

— Ita Spúrius animátur in proélium:
Véles eques récipit se, néc ferit quémquam
hostem.“

eques recipit. Ald. Bas. Steph. Jun. equis recepit. — nec. Merc. neque. Mirum in modum Bothius hunc locum turbavit, scribens:

Ita Spurius animat, veles, eques, in proelium
Recipit se, neque — ferit quemquam hostem.

Inserta lineola indicat oxymorum, quod se in verbis deprehendisse putat. Versus videntur Cretici. Decribitur autem homo

ad rixam propensus, sed meticulosus: Spurius ita concitatur ad proelium ineundum, ut tamquam veles eques, lacessito tantum hoste, non vulnerato, propere refugiat.

IV.

Festus v. Solox, Fragm. p. 53 ed. Dacer.: „Solox, lana crassa, et pecus, quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barathro:

Ego áb soloci lána ad purpurám data."

Barathro. Fragm. Barrato. — soloci lana. Sic metri gratia legendum videtur cum Mercerio ad Non. p. 3 et Bothio. Editur lana soloci. Nec tamen male Turnebus Advers. XXIX. 1 Ego ab lana soloci ad puram data. Paullus ex Festo: „Solox, lana crassa, vel pecus lana contectum. Titinius: Lana soloci ad purpuram data." Hinc Festi verba, quae manifesto corrupta sunt, ita mihi legenda videntur: Solox, lana crassa, et pecus, quod lana pascitur contectum, id est, solox (sc. lana) dicitur lana crassa, et solox (sc. pecus) dicitur pecus, quod etc. Unde intelligitur, non esse interpungendum cum Bothio Solox lana, crassa, et p., quasi solox lana significet etiam pecus, quod etc.

V.

Festus v. Tensam: „Tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviae deorum ludicris Circensibus in circum ad pulvinar vehuntur. Fuit et ex ebore, ut apud Titinium in Barbato; et ex argento."

VI.

Priscianus VI. 7. 36. p. 694 ap. Putsch.: „Uni pro unius Titinius in Barbato:

Quód quidem pol múlier dicit: „Namque úni collegí sumus."

Eadem exstant VI. 16. 82. p. 717 ap. Putsch., nisi quod hoc loco est dicet pro dicit. Steph. habet dicit. Versus est asynartetus, constans ex dim. troch. et dim. iamb., qui hic, ubi alius personae verba afferuntur, aptissime usurpatur.

VII.

Charisius II. p. 181 ap. Putsch.: „Inaurate pro non aurate. Titinius in Barathro:

— Inauratae átque illautae múlieris."

Inaurate pro non aurate. Sic Bas., et sic legendum

est; non, ut habet Putsch., Inauratae pro non auratae. Nam grammaticus toto hoc capite de adverbiis tantum agit. Quum autem adverbii inaurate exemplum in promptu non haberet, istum Titinii locum posuit.

VIII.

Charisius II. p. 183 ap. Putsch.: „Medio fidio, per Jovem aut fidem filiumve Jovis, Herculem; quae iuratio propria virorum est, ut feminarum Edepol, Ecastor, Eiuno. Denique Titinius in Setina, molliculum adolescentulum, effeminate loquentem, quum reprehendere magis vellet: An, inquit, quia pol edepol fabulare, edi medi. Edi Titinius in Barathro: Id necesse respondet edi." Bothius: „In quibus scribendum puto Mediusfidius — fabulare? Dic Medi (ut vir, non Edepol, ut foemina, pro Mediusfidius, sicut Edi pro Ediusfidius, nomine populariter truncato). — ‚Id necesse est,' respondent edi." Non dubito, quin recte restituatur Medius fidius pro Medio fidio. Depravatio inde orta sit, quod syllaba us, compendio scripta, non valde dissimilis erat o litterae. Sed locus, ex Titinii Setina petitus, si ex Bothii coniectura scribatur, frigidiusculam praebet sententiam. Neque auscultandum puto Turnebo, Advers. III. 20 scribenti: „Medius fidius non iurabant olim mulieres. erat enim eis religio hoc iusiurandum proferre: proinde Titinius adolescentem, qui in foeminam degenerarat, hoc iusiurandum non audere eloqui dicit. Nam cum vulgus haec verba imminueret, et depravaret, et pro medius medi diceret, facit eum dicere pro medi edi: An quia, inquit, pol, aedepol fabulare, medi edi." Secundum Charisii verba exprobravit aliquis in Setina adolescentulo, effeminate loquenti, mollitiam ipsius. Dixit igitur, ut simul ex ipsius Titinii verbis coniici potest, fere haec: Prorsus ut mulier te geris, ut mulier loqueris; an inde putas intelligi, te virum esse, quod pol, edepol fabularis? continuoque irridens suam addit iurationem virilem, edi, medi, quae duo verba respondent illis pol, edepol. Itaque scribendum sit: An quia „pol, edepol" fabulare? edi, medi. Versus autem est Bacchiacus tetrameter. Bothius eum, ex sua coniectura scriptum, habet pro trim. iamb., non reputans, priorem syllabam in edi et medi perinde, ut primam in ecastor et mecastor, esse longam. Unde etiam fluxisse videtur eius coniectura: „Id necesse est," respondent edi. Fortasse corrigendum:

— Id necésse esse réspondet édi.

IX.

Charisius II. p. 185 ap. Putsch.: „Noctu diuque. Sallustius historiarum secundo: Noctu diuque stationes et vigilias tentare. At vero Titinius in Barathro: Noctu diuque ait. Naevius in Acontizomeno: Sulpicii noctu interfecit." Apparet, non fuisse apud Titinium Noctu diuque. Legendum arbitror:

Diú noctuque. —

X.

Charisius II. p. 212 ap. Putsch.: „Praepositiones interdum ultimas litteras immutant, et iunctorum sibi verborum primas adsumunt, ut a pro ab, ut avehit. — A pro ad. Titinius in Barathro:

— Prius,
Quam aurúm privatae púrpuramque attéximus."

Editum est auro et abteximus. Correxit Bothius, dicens, inepte accipere bonum virum Charisium abteximus pro atteximus. Scribendum esse atteximus, vidit etiam Mercerius ad Non. p. 3. Immerito autem accusatur a Bothio Charisius, qui, ut verba eius ostendunt, procul dubio scripsit atteximus; legendumque apud eum videtur At pro ad, non A pro ad. Privatae sc. mulieri.

Quae fragmenta sub Barbati nomine posuimus, ea leguntur, ut ex locis exscriptis liquet, partim sub hoc partim sub Barathri nomine, cuius loco etiam Aratro invenitur. Atque Gyraldus de Poëtar. hist. VIII., Opp. T. II. p. 424, adeo etiam Barbarum Titinii commemorat. Plurimum auctoritatis habent Barbato et Barathro; ut fuerint, qui inter Barbatum et Barathrum discrimen statuerent, quum alii utramque fabulam eandem putarent, vel Barbatum eam inscriptam fuisse existimantes, vel Barathrum. Rem diiudicasse videtur Mercerius ad Non. p. 3 hisce verbis: „Titinnius barbato, ita scribendum ubique, non barathro, quod nusquam in antiquis Nonii aut Festi libris. Error ab eo quod semel apud nostrum, et semel apud Festum habes barrato vel Varrato, quod mutaverant in barathro: qui idem error invaluit in Charisii codicibus. nec est quod duas fabulas credamus, quum utriusque argumentum idem fuisse probet collatus Charisii locus, priusquam auro privatae purpuramque atteximus. Et ille apud Festum, Ego ab soloci lana ad purpuram data. De phrygionibus et textricibus fuit fabula."

CAECUS.

Charisius II. p. 194 ap. Putsch.: „Semitatim. Titinius in Caeco:

Ita sémitatim fúgi, atque effugí patrem.“

Bas. depravate Seminatim — seminatim. Huc pertinere videtur etiam incertorum Titinii fragmm. II. Caecus fortasse fuit senex, non animadvertens astutias, quas ipsi machinabantur. Plautus Caecum sive Praedones scripsit.

DECUMA FULLONIS.

Junius Elench. auctor. ad Non. p. 21 sub Titinii nomine Decumam Fullonis commemorat, ipse suspicans, eam Pomponio vindicandam esse. Ego Titinio eiusmodi fabulam tributam apud antiquos nusquam reperi.

DIVORTIUM.

Vid. Quinti fragm. III.

FERENTINAS.

Vidd. annott. ad Psaltriae fragm. III.

FULLONES.

I.

Nonius p. 81 ed. Merc.: „Comest pro comedit. — Titinius — in Fullonibus:

Ego mé mandatam meó viro male árbitror,
Qui rém disperdit ét meam dotém comest.“

Fullonibus. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Fullonius. — et meam dotem comest. Cod. Guelph. ex emend. et meam comest. Ven. I. II. Par. ac meam comest.

II.

Nonius p. 98 ed. Merc.: „Diu pro die; unde et interdiu dicitur. Titinius in Fullonibus:

Nec nóctu nec diú licet fullónibus quiéscant."
noctu. Cod. Guelph. nocte, corr. noctu. Par. nocte.

III.

Nonius p. 111 ed. Merc.: „Fuam, sim vel fiam. — Titinius in Fullonia:

Perii hércle vero. Tíberi, nunc te hoc óbsecro,
Ut míhi subvenias, égo ne maialís fuam."

Fullonia. Ven. II. fullo. Par. fullone. — vero. Par. verbo. — Tiberi. Ven. I. II. tibi. Par. ubi. — te hoc. Ald. Bas. Steph. tectum. Vulgo tecum. Correxit Munkius de Pomp. Bon. p. 98. — ego ne. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. ne ego. Ald. Bas. Steph. ut ego.

IV.

Nonius p. 153 ed. Merc.: „Perbitere, perire. — Titinius in Fullonia:

Iam prídem egressa tú perbiteris." —

Fullonia. Cod. Guelph. follon., corr. fullon. — Iam pridem egressa. Ven. I. II. Par. Iam egresse. — tu perbiteris. Legitur ut perbiteris, deteriore numero, nec, ut videtur, proba sententia. Bothius, adstipulante Munkio de Pomp. Bon. p. 98, scripsit ut perbiteres, explicans: ęgressa, egressa sum.

V.

Nonius p. 224 ed. Merc.: „Simile est, pro similis est, pro masculino positum neutrum. Titinius in Fullonibus:

Formícae pol persímile rusticus ést homo."

rusticus est. Libri est rusticus, quae versûs gratia cum Bothio et Munkio de Pomp. Bon. p. 99 transponenda duximus.

VI.

Nonius p. 233 ed. Merc.: „Anima — halitus oris et odor. — Titinius in Fullonibus:

— Intérea foetida ánima nasum oppúgnat."

Fullonibus. Par. Julo. — Bothius, non improbante Munkio l. c., senarium ita restituit: Interea nasum oppugnat anima foetida.

VII.

Nonius p. 245 ed. Merc.: „Argutari, subsilire. Titinius in Fullonia:

Terra haec est, non aqua, ubi tu solitus argutari pedibus, cretam dum compescis, vestimentaque lavas.“

Fullonia. Par. fullo. Bas. Jun. Fullonibus. — Terra haec est, non aqua. Ven. I. II. Par. Bas. Terra haec est nova quasi. Ald. Steph. Terra haec nova quasi. Jun. Terra haec est nova qua. — cretam dum. Par. certandum. — lavas. Ven. I. II. Ald. Steph. levas. Jos. Scaliger ad Varr. de L. L. V. p. 63 ed. Bip.:

— Terra haec nova est,
Quasi ubi tu solitus pedibus argutarier,
Dum compescis cretam, et vestimenta eluis.

Bothius, acuendo nomine substantivo aqua in thesi posito:

Terra haec, non aqua, est, ubi tu solitus argutarier
Pedibus, cretam dum compescis, vestimenta quâ lavas.

Munkius de Pom. Bon. p. 98, in posteriore versu librorum scripturam servans, priorem, admisso hiatu et nomine aqua in thesi posito, sic edidit:

Terra haec est, non aqua, ubi tu solitu's argutarier.

Scribendum videtur:

Térra haec, non aquást, ubi tu sólitus argutárier
Pédibus, cretam dúm compescis véstimentaqué lavas.

Verbum est post haec secundum Ald. et Steph. est expungendum, quod, quum ex non aquast ortum esset nova quasi, videntur inseruisse.

VIII.

Nonius p. 305 ed. Merc.: „Ferox sum illa re dicitur, ut illa re sum fretus vel arrogans. Titinius in Fullonibus:

Víderam ego té vírginem fórmosíssimam ésse,
Spónso ésse supérbam, fórma ésse ferócem.“

Videram. Steph. Videam. — formosissimam. Jun. marg. Merc. formosam. — forma esse ferocem. Sic Ven. I.

II. Par. Ald. Recentiores forma ferocem. Bothius, nonnulla mutans, edidit:

— Videram esse
Ego te formosam virginem, sponso superbam, forma
Ferocem.

Munkius de Pomp. Bon. p. 100:

Víderam
Egó te virginem ésse formosíssimam,
Sponso ésse superbam, fórma ferocém.

Versus videntur Jonici a maiore, prior tetrameter brachycatalectus sive Sotadeus, alter compositus ex duobus dimetris brachycatalectis. Cf. Hermann. Element. doctr. metr. II. XXXVII. 12 sqq.

IX.

Nonius p. 366 ed. Merc.: „Patibulum, sera, qua ostia obcluduntur, quod hac remota valvae pateant. Titinius in Fullonibus:

— Sí quisquam hodie praéter hanc postícum
Nostrúm pepulerit, pátibulo hoc eí caput defríngam.“

quisquam. Steph. quispiam. V. Posticum ap. Non. p. 217 ed. Merc. ex Titinii Fullonibus haec laudantur: Si quis hodie praeter has posticum nostrum pepulerit. Bothius, transpositis duobis verbis, locum ita edidit:

Si quisquam hodie praeter hanc posticum nostrum pepulerit,
Patibulo hoc caput ei defringam.

Munkius l. c.:

Sí quisquam hodie praéter hanc
Postícum nostrum pépulerit, patíbulo hoc
Eí caput defríngam.

Quae distinctio ideo ferri non potest, quod antepaenultima syllaba verbi patibulo brevis est. Plaut. Mil. II. 4. 7:

„Dispéssis manibus pátibulum quum habébis. Quamnam id ób rem?“

et Mostell. I. 1. 53:

„Ita té forabunt pátibulatum pér vias.“

X.

Nonius p. 369 ed. Merc.: „Putare, aptare. Titinius in Fullonibus:

Da pénsam lanam. Quí non reddet témpori
Putátam recte, fácite, ut multetúr malo."

Da pensam. Non male Turnebus Advers. XXIX. 28 Depensam. Lipsius Antiquar. lect. V. 13 Date pensam. — Putatam. Turnebus l. c. Putam, quod tum ipsius Nonii verba refellunt, tum versus respuit. — facite. Lipsius l. c. faciem. Fortasse recte. Certe facile oriri potuit facite ex faciē, quod sententiae aptius videtur. Nec male Both. facito. Videtur autem vulgata quoque ferri posse.

XI.

Nonius p. 406 ed. Merc.: „Toga dicta est a tegendo; et est toga, sicut in consuetudine habetur, vestimentum, quo in foro amicimur. — Titinius in Fullonibus:

— Quae intér decem
Annós nequisti unám togam detéxere."

Bothius transposuit: Annos detexere unam nequiisti togam.

XII.

Nonius p. 469 sq. ed. Merc.: „Contempla. — Titinius in Fullonia:

Adspécta formam, átque os contemplá meum."

Fullonia. Jun. marg. Merc. Fullonibus. — Adspecta. Ald. Bas. Steph. Specta; ubi praepositio antecedente Fullonia absorpta est. Vocabulum formam non eliditur; nec tamen quidquam mutandum videtur; etsi Bothius haud nolit contemplato, et Munkius de Pomp. Bon. p. 100 suspicatus est formam meam. — In Ven. I. II. Par. verba Titinius — meum desiderantur.

XIII.

Nonius p. 483 ed. Merc.: „Quaesti vel quaestuis dictum pro quaestus. Titinius in Fullonibus:

Ni nós texamus, ést nihil, fullónes, vobis
quaésti."

est nihil. Libri nihil est, quod in versum non quadrat. Correxit Bothius. — vobis. Mercerio antiquiores nobis. Illud propter positum nos praeferendum videtur.

Laudantur fragmenta ex Fullonibus, ex Fullonia, ex Fullone. Minimum auctoritatis habet Fullone, plus,

quam Fullonia, Fullonibus; et vere fabulam inscriptam fuisse Fullones imprimis ideo arbitror, quod, ubicunque Fullonia legitur, lectio variat, quum Fullonibus saepius sine varietate reperiatur. Fullonia, sicut Fullone, ortum esse puto ex falsa compendii solutione. Indidem etiam nata sit scripturae varietas in Pomponii fabula cognomini, in qua componenda poëtam respexisse togatam Titinianam non est improbabile. Utraque fortasse Novium movit, ut Fullones feriatos scriberet; et Laberio, quum componeret Fullonem mimum, fortasse tam Titinii togata quam Pomponii et Novii Atellanae obversabantur. — Omnino argumentum fabulae Titinianae de fullonibus et textoribus vel textricibus fuit. Fragmm. II. VII. X. XI. XIII. Itaque simile fuerit argumento Barbati. Sed summa argumenti videtur fuisse rixa mariti et uxoris, alieno viro nimium indulgentis, vel certe coniugi suspectae. Cf. fragmm. I. III. IV. VI. VIII. IX. XII.

G E M I N A.

I.

Nonius p. 81 ed. Merc.: „Comest pro comedit. — Titinius in Gemina:

— Líbram aibant satis ésse ambobus fárris
Intrítae. Plus comést sola uxor.“ —

aibant. Legitur aiebant. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Bas. Steph. agebant. — Intritae. Cod. Guelph. Par. intrite. Ven. I. II. nitrite. Ald. Bas. Steph. Jun. nutrire. Bothius, verborum ordinem turbans:

— Libram aibant satis
Ambobus esse farris intritae: comest
Plus uxor sola.

II.

Nonius p. 94 sq. ed. Merc.: „Desuevi illum pro desuefeci illam, id est, consuetudinem ei abstuli. Titinius in Gemina:

Párasitos amóvi, lenonem aédibus abstérrui;
Désuevi, ne quo ád coenam iret éxtra consiliúm meum.“

aedibus. Bothius: „Producitur syllaba in aedibus per ectasin, de qua figura dixi ad Terent. Adelphorum prol. 25. Alioqui nullo negotio poni posset deterrui.“ Sane nihil

videtur mutandum; quamquam non male Reuvensius Collectan. litt. p. 9 coniicit aedibus his. — ne quo. Ald. nequid. — iret. Ald. Jun. exiret.

III.

Nonius p. 157 ed. Merc.: „Paucies pro raro dici veterum auctoritas docet. Titinius in Gemina:

Posteáquam factus és maritus, hánc domum
Abhórres; tuam etiam uxórem video paúcies."

Posteaquam factus es. Libri Postquam factus. — video paucies. Legitur inverso ordine paucies video. Bothius edidit:

Postquam maritus factus es, abhorres domum
Hanc; etiam uxorem paucies video tuam.

Quae transpositio et audacior est, et melius uno tenore dicitur hanc domum. — Apud Festum v. Pauciens haec leguntur: „Pauciens dicebant pro raro. Titinius: Uxorem pauciens videbo." Qui locus non debebat Dacerium cum Ant. Augustino movere, ut etiam in loco, ex Nonio allato, scriberent tuam etiam uxorem pauciens videbo.

IV.

Nonius ibidem: „Idem in eadem:

Tus ac iniqui, in urbem paucies venire soles."

Sic Merc. cum cod. Guelph. Pro Tus ac iniqui Ven. I. II. Tu aut iniqui; Ald. Tu autem iniqui; Bas. Steph. Jun. Tu autem, inquit. Jun. marg. inique. Bothius, omnia turbans, edidit:

Ruras inique: paucies soles venire in urbem.

Scribendum arbitror:

Tute aútem, qui solés in urbem paúcies veníre.

V.

Nonius p. 192 ed. Merc.: „Araneae et feminini sunt generis. Titinius in Gemina:

Evérrite aedes, ábstergete aráneas."

Idem versus ex eadem fabula affertur Non. p. 420 ed. Merc. v. Verrere pro mundare, ubi Ald. habet Verrite pro Everrite. Pro abstergete Ald. Bas. Steph. Jun. utroque loco abstergite, quod versus respuit. — In Ven. I. II. Par. versus ille cum poëtae et fabulae nomine desideratur.

VI.

Nonius p. 232 ed. Merc.: „Advorsum — apud significat. Titinius in Gemina:

Muliér, credo, advorsum íllum res suás conqueritur.“

VII.

Nonius p. 256 ed. Merc.: „Comparare veteres confirmare et constituere dixerunt. — Titinius in Gemina:

Ergo út sua servét dona, nóbis faciúndum
'Est ita: út cum ea
Primúm blanditér comparémus collóquia.“

servet. Merc. servat. — Est ita: ut. Ven. I. II. est ut ita ut. Par. est ut ita. — Verba Ut cum ea — colloquia ex Titinii Gemina a Nonio allata sunt etiam p. 510 v. Blanditer pro blande. Hic pro Ut cum ea Ald. habet ut cum da, Bas. Steph. Jun. Jucunda; pro comparemus Ald. Bas. Steph. Jun. comparamus; pro colloquia Ald. colloqui. Ven. I. II. Par. h. l. tantum exhibent Blanditer comparamus colloqui. Bothius, mutans et transponens, scripsit:

Ergo, uti sua servat domina, nobis faciundum est ita,
Ut cum ea primum colloquia comparemus blanditer.

Recte autem vir doctus: „Comparemus, seramus, faciamus.“

VIII.

Nonius p. 306 ed. Merc.: „Facessere significat recedere. — Titinius in Gemina:

— At aliquís vestrorum núntiet
Géminae, ut res suás procuret, aédibus facéssat.“ —

Sic libri. Bothius sibi scribendum duxit:

— At aliquis nuntiet vestrorum
Geminae, res ut suas procuret, aedibus facessat.

Si quid mutandum sit, scribam:

— At aliquís vestrorum núntiet
Geminaé, res ut suás procuret, aédibus
Facéssat. —

IX.

Nonius p. 392 ed. Merc.: „Spissum significat tarde (tardum). — Titinius in Gemina:

Longús sermo habétur; revórtetur spíssa.“

Versus est Bacchiacus. Bothius eum habet pro asynarteto, ex duobus ithyphallicis constante. Sed, ut mittam asynartetum versum et productam primam syllabam verbi revortetur, omnino etiam dubium est, num versus ithyphallici usurpati sint ab Romanorum scaenicis poëtis. Cf. Hermann. Elem. doctr. metr. II. XI. 4. Quotquot in Bothii fragmentorum collectione eiusmodi versus reperi, ii omnes aliter metiendi videntur.

X.

Nonius p. 405 sq. ed. Merc.: „Tandem significat tamen. Titinius in Gemina:

— Sin forma odió sum, tandem ut móribus placeám viro.“

Sin forma odio sum. Sic Merc. cum Lipsio Antiquar. lect. I. 2. In antiquioribus edd. est Symphonia odiosum. Iun. marg. odio sum. Bothius, ut integer versus troch. tetram. cat. exsisteret, Sin odio sum forma edidit. Idem annotat: „Male tandem pro tamen accipit Marcellus. Exponendum potius saltem.“ Mihi minus vituperanda videtur Nonii explicatio. Vossius Etymol. v. Tamen: „Quemadmodum — tametsi est ex tamenetsi, sic et tandem dicitur quasi tamendemum.“

XI.

Nonius p. 406 ed. Merc.: „Dicitur (toga) et tectum. Titinius in Gemina:

Si rus cum scorto constituit ire, claves illico abstrudi iubeo, rusticae togae ne sit copia, id est, tecti.“

Sic ed. Merc. In antiquioribus edd. pro Si rus est Syrus. Jun. marg. Si rus. Locus est depravatus, quem vario modo emendare studuerunt. Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 766, legit:

Si rus scorto constituit, claves ilico
Abstrudi iubeo, rusticae ne sit togae
Copia, id est, tecti.

Mercerius Titinii versus sic restituit:

Si rus cum scorto constituit ire, claves illico
Abstrudi iubeo, ne rusticae togae sit copia.

Bothius priorem versum, ut Merc., alterum sic scribit:

Jubeo abstrudi, ne togai rusticae sit copia.

Sed audiamus Ludovicum Carrionem Antiquar. lect. I. 11, ubi haec legimus: „Toga, inquit Nonius, dicta est a tegendo, et est, sicut in consuetudine habetur, vestimentum quo in foro amicimur. dicitur et tectum. Titinnius Gemina: Syrus — tecti. quae si scripsit Nonius, valde eum fugit ratio: quod cum exemplo in eam rem quaesito tectum esse togam, vellet docere: nunc contra quasi sui eum poeniteret instituti, togam interpretetur tecti nomine. sed videlicet librarios, eosque qui Nonium extruserunt, non ipsum Nonium fugit ratio, qui hunc in modum scripserat: dicitur et tectum. Titinnius Gemina: Syrus cum scorto constituit ire, claves ilico abstrudi iubeo, tecti ne sit copia, id est, rusticae togae.“ Deinde autem, dubius, num Syrus, an Si rus praeferendum sit, Titinii locum sic exhibet:

— Syrus
Cum scorto instituit ire; claves illico
Abstrudi iubeo, tecti ne sit copia.

Neque aliter Vossius Etymol. v. Tego. Quin Carrio postrema verba loci allati recte transposuerit, nemo iure dubitabit. Sed Titinii locus omnino sic scribendus videtur:

Sí rus cum scortó constituit íre, claves íllico
Abstrúdi iubeo, técti ne sit cópia.

Alterum versum pro clausula habendum puto.

XII.

Nonius p. 486 ed. Merc.: „Ibus pro iis minus Latinum putat consuetudo, quum veterum auctoritate plurimum valeat. Titinius in Gemina:

Eú ecastor sí moratae sítis ambae ibús, ut ego,
Móribus.“ —

si. Gulielmius Quaest. in Plaut. Most. I. et Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 780, sic. — ambae. Ven. I. II. Par. ambo; fortasse recte. — ut ego. Sic Ven. I. II. Par.; item Gulielmius l. c. Recentiores edd. habent ut pro ego, unde Palmerius l. c. fecit ut pote ego, quod, ut monet Bothius, sic non dicitur Latine. Quamquam mirum est, unde illud pro irrepserit. — Moribus. Sic correxerunt, quod est in Nonii editionibus, ante Merc. curatis, maioribus. Bothius totum locum hac ratione scribendum proposuit:

— Eu ecastor
Si moratae sitis ambae hibus, uti pol ego,
moribus!

ut, non eliso ambae, versus alter sit asynartetus, compositus ex troch. dim. et iamb. dim.

XIII.

Nonius p. 495 ed. Merc.: „Accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali. — Titinius — in Gemina:

Non éxsecratur ís parasitum, néc virum abspellít domo?"

exsecratur is. Libri inconcinne exsecratis vel exsecrat is. Both. is exsecrat. — abspellit. Jun. marg. aspellitis. Caeterum versus allatus boni grammatici regulam non confirmat.

XIV.

Nonius p. 497 ed. Merc.: „Accusativus positus pro ablativo. Titinius in Gemina:

— Edepól hominis
Ignávi functus ófficium." —

XV.

Nonius p. 510 ed. Merc.: „Benigniter pro benigne. Titinius in Gemina:

Nímium te patrócinari cénseo benígniter."

Nimium te. Ven. I. II. Par. Nimirum. — censeo. Merc. Both. sentio.

XVI.

Priscianus X. 7. 38. p. 898 ap. Putsch.: „Non solum τὸ κοσκινίζον κρίνω sic (cerno, crevi) facit praeteritum, sed etiam quum pro video accipitur. Titinius in Gemina:

Simul út pueras nócte has suspírare crévi;

pro vidi." Vulgo has nocte, quae verba metri causa manifesto sunt transponenda. Kreblio teste nonnulli codd. hac, quod ei placet. Mihi probabilius videtur, hac natum esse ex has, post nocte posito, quam has ex hac, ante nocte retracto. Bothius hoc vocabulum prorsus omisit, versum pro asynarteto habens, ex duobus ithyphallicis constante. Non animadverterat vir doctus, transpositis duobus vocabulis versum exsistere pulcherrimum.

Quod ad argumentum huius togatae attinet, reliquiae ita sunt comparatae, ut fere nihil certi ex iis colligi posse videatur. Gemina inscripta fuit fabula, sed geminae in ea repraesentatae videntur, quarum altera nupta esset, altera apud sororem habitaret, neutra viro accepta. Fragmm. I. VIII. X. XII. XVI. Cf. Incertt. Titinii XI. XII. Gemina uxoris soror, unde fabulae titulum tractum esse arbitror, fortasse erat causa, cur inter coniuges orta esset discordia; quam ut sedaret viroque morem gereret, uxor concesserit, ut soror domo abscederet. Cf. fragm. VIII. et X. Fragm. VIII. fuerit mariti. Ut dona accepta soror gemina sibi servet, uxor optare videtur fragm. VII. Fragm. III. et IV. mulier fortasse dicit amico vel cognato rustico, apud quem de marito conqueritur. Unde mariti sint fragmm. VI. et IX.; item XV., ad rusticum illum conversi. — Ad huius fabulae imitationem fortasse composuit Novius Geminas suam, quae laudatur a Nonio v. Festiviter p. 510 ed. Merc.; nisi potius Gemini dicebatur, quia legitur Novius in Geminis, non Geminabus. Ex versu, inde allato, nihil intelligitur de inscriptione. Porro a scriptoribus loci afferuntur ex Pomponii Maccis geminis, et ex Laberii Gemellis et Sororibus. Sorores etiam Afranius docuit.

HORTENSIUS.

Charisius I. p. 115 ap. Putsch.: „Rure. — Titinium (Plinius dixisse laudat) in Hortensio:

— 'In foro aut in cúria
Pósita potius, quám rure apud te inclúsa.“ —

Bothius: „Dici videtur alicuius pecunia, vel in foro collocanda apud argentarios, vel apud curiales, potius quam domi servanda rure, ubi ille degebat.“

ILARUBRA.

Nonius p. 476 ed. Merc.: „Osculavi. Titinius Ilarubra:

Laudór, quod osculávi privignaé caput.“

Ilarubra. Ven. I. II. Par. Illa rubra. Hadr. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 21 et Fabricius Bibl. Lat. IV. 1 cum Christophoro Wasio exhibent Ila rubra. Inauditum est nomen. Quare Junius l. c. suspicatus est, scribendum esse Veliterna. Bothius incidit in Illecebra. Si ex versu laudato coniicere licet, ut mihi quidem licere videtur, scribendum

est in Privigna, quae Titinii fabula etiam alibi commemoratur. — Laudor. Ven. I. II. Par. laudo. Bothius scribat Ludor. Pronuntiare potuit versum, qualis vulgo legitur, vitricus. Cf. infra alterum Privignae fragmentum.

JURISPERITA.

I.

Charisius II. p. 177 ap. Putsch.: „Cotidio, ut falso, pro cotidie. — Similiter et commodo dixerunt. — Titinius in Jurisperita:

Nunc adeo visam, velle rem magnam aiebat sese
mecum loqui, et commodo eccum exit,

id est, in tempore.“ In ed. Bas. desideratur vocabulum velle, ap. Steph. totus locus. Versus Bothius non male sic restituit:

Nunc adeo visam: velle rem magnam loqui
Aibat se mecum; et exit eccum commodo.

Fortasse tamen facilius et aptius emendabimus hac ratione:

Nunc ádeo visám: velle rém magnam aiébat
Loquí sese mécum; atque eccúm commodo éxit.

II.

Virgilii interprett. vett., quos primus edidit Angelus Maius, ad Aen. II. 670: „Nunquam omnes hodie. Sic in Bucolicis (III. 49): Nunquam hodie effugies. — Titinius in Jurisperita:

Nunquámne mihi licébit hodie dícere?“

PALLA, PRAELIA, PRILIA, PRILLA, PROELIUM, PULLA.

Vidd. annott. ad Pyrrhiae fragmm. in fine.

PRIVIGNA.

Nonius p. 157 ed. Merc.: „Pauperavit, id est, pauperem fecit. — Titinius in Privigna:

Nam quíd ego feci te ádvorsum aut patrém meum,
Quem paúperatis ámbo vestris súmptibus?“

Privigna. Jun. Privigno. — feci. Cod. Guelph. fecit. — te. Legebatur olim et, quod correxit Junius in margine. — pauperatis. Ald. Bas. Jun. Merc. pauperetis. Cf. Vari fragm. III.

Huc etiam pertinere videtur locus, quem sub Ilarubrae nomine posuimus. Ut illum versum pronuntiare putavimus vitricum, ita hos esse arbitramur eius filii, cum noverca colloquentis. Ambo, tu et filia tua, soror mea non germana.

PSALTRIA.

I.

Nonius p. 224 ed. Merc.: „Succubonem positum pro succuba Titinius testis est in Psaltria:

— Contempläri ancillas, quam árbitrer
Illárum succubónem esse.“ —

succubonem. Ald. Bas. Steph. Jun. utroque loco succuboneum. — Ven. I. II. Par. haec non habent. — Bothius Titinii verba ita mutavit:

Contempla ancillas, quam arbitres illarum succubonem.

Antecesserit Quid nunc vis? vel simile quid, unde penderet infinitivus Contemplari.

II.

Nonius p. 314 ed. Merc.: „Grave multum valde (valde multum?) significare veteres probant. Titinius in Psaltria:

— Gravique obsónio
Convívas.“ —

Convivas positum videtur pro Convivaris, ut Bothius annotavit.

III.

Nonius p. 331 ed. Merc.: „Lactes dicuntur intestina. Titínius in Psaltria:

— Fartícula, cerebéllum,
Láctes agnínas.“ —

Farticula. Par. Forticula. Ald. Ferticula. — Lactes. Merc. lactis.

Paullo aliter Priscianus VI. 4. 21. p. 686 ap. Putsch.: „Non habet plurale nec hoc (alec) neque lac. Nam hae lactes partes sunt intestinorum, a Graeco γαλακτίδες dictae, et servarunt apud nos quoque idem genus, cuius singulare haec lactis est. Titinius in Ferentinati:

Craticula, cerebellum, lactis agnina.

Pomponius in Lari familiari: Oro te, Basse, per lactes tuas.“ Bothius ad Nonii locum allatum: „Apparet, idem esse hoc fragmentum ac Ferentinatis, ut duplici nomine inscripta fuerit fabula. Verior autem videtur Nonii scriptura quam Prisciani.“ De titulo vide nos in fine huius fabulae reliquiarum. Farticula et sententiae et metri gratia praeferendum videtur. Lactis agnina ex Prisciani quidem verbis non opus est scribere, ut ex altero loco, ex Pomponio addito, apparet. Quumque apud Nonium legamus Lactes agninas, et singulare lactis, quod, quantum scio, alibi nusquam reperitur, num unquam in usu fuerit dubium videri possit, omnino iure Bothium Nonii scripturam praeferre puto. Fortasse librarius, quum Pomponii locum nondum legisset, Prisciani verbis deceptus, lactes vel lactis agninas mutandum opinatus est in lactis agnina, quod deinde, etiamsi se errasse senserit, ne liber contaminaretur, corrigere noluit.

IV.

Nonius p. 496 ed. Merc.: „Genitivus casus positus pro accusativo. Titinius in Psaltria:

Dicis tu, quaeso, quo te avortisti? mei fastidis, meae deliciae.“

Psaltria. Ven. I. II. Par. altera. — Dicis. Jun. marg. Dic. Gulielmius Quaest. in Plaut. Cas. III. Dic sis. — quo te. Ald. quo a te. — meae. Ald. Bas. Steph. si meae. — deliciae. Ven. I. II. laetitiae. Par. letitiae. — Bothius edidit:

— Dicito, quaeso! Quo te avortisti?
Mein' fastidis, meae deliciae?

Fortasse scribendum:

Dic ístud, quaeso. Quó te avortistí? Mei
Fastídis, meae delíciae? —

V.

Nonius p. 504 ed. Merc.: „Lavit pro lavat. — Inde imperativo modo lavite facit Titinius in Psaltria:

Manús lavite múlieris, et cáput ei veláte.“

mulieris. Sic libri. Schegkius Praemess. X. mulieres. — caput ei. Ven. I. II. Ald. capite. Vulgo capita. Bothius exhibet:

Manus lavitote, mulieres, et capita velatote.

Quam scripturam vel ipsius Nonii verba damnant.

VI.

Priscianus VII. 12. 60. p. 762 ap. Putsch.: „Veteres — huiusmodi nomina (Arpinas, Capenas) in is proferebant, hic et haec Arpinatis dicentes; unde neutrum hoc Arpinate. — Quod autem per syncopam haec (Capenas, Arpinas, Ardeas) proferuntur, vetustissimorum usus comprobat. — Titinius in Psaltria:

Feréntinatis pópulus res Graecás studet.“

Idem Priscianus IV. 4. 21. p. 629 ap. Putsch.: „Titinius in Psaltria: Ferentinatis populus Graeca studet, pro Ferentinas.“ Prius exscriptus locus, si metrum spectes, vera praebet.

Ad fragm. III. vidimus, eundem, ut simile est vero, locum a Nonio laudari ex Psaltria Titinii, a Prisciano ex Ferentinati eiusdem poëtae, indeque Bothium collegisse, unam eandemque hanc fuisse fabulam, duplici nomine inscriptam. Confirmatur opinio, non duas has fabulas fuisse, etiam fragm. VI. Veram autem inscriptionem non Ferentinatem, sed Psaltriam esse, facile evincunt Nonii et Prisciani loci inter se consentientes. Parum igitur accurate Priscianus, quum psaltria repraesentata Ferentinas fingeretur, uno loco fabulam Ferentinatis nomine appellavit. Nisi forte cum Christophoro Wasio et Fabricio Bibl. Lat. IV. 1 eam Ferentinatem Psaltriam inscriptam fuisse statuere vis. Caeterum ex paucis reliquiis intelligi posse videtur, in hac togata celebrata esse sacra, ubi ex more Romano convivarentur et psaltria fidibus caneret. Ad fragm. V. Bothius annotavit: „Significatur mos sacrificantium: vid. Serv. ad Aen. 3, 407, 545, Schegk. Praemess. epist. 10, Facis art. 4. p. 907, etc.;“ quod ad locum pertinere puto, etsi versum aliter constitui.

PYRRHIA.

I.

Nonius p. 71 ed. Merc.: „Ancillantur pro serviunt. Titinius in Praelia:

— Vérum enim
Dótibus déleniti últro etiam uxóribus
'Ancillantúr.“ —

Eadem ex Titinii Praelia afferuntur apud Nonium p. 278 v. Delenitus pro mente alienatus. Priore loco pro Verum enim Ald. Bas. Verum etiam; pro deleniti Ald. delenit.

II.

Nonius p. 102 ed. Merc.: „Evallaro dictum excludam et quasi extra vallum mittam. Titinius in Prilia:

Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem pallia evallavit o pulchre.

Varro, *ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφον*: Donec foras nos intus evallaverunt." Evallaro. Sic ex adiecta explicatione Mercerius correxit vulgatum Evallare. — Prilia. Ita cod. Guelph. Ald. Merc. Vulgo Praelia. — Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem. Par. Qua ego extorrem hanc domo f. dilatricem. Steph. Qua ego hodie hanc f. expilatricem. Lipsius Antiquar. lect. V. 22 et Epistolic. quaest. IV. 19 correxit: Quia ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem pallii, evallavero pulchre. Inde, ut videtur, Mercerius pallii in ordinem recepit, et evallavero in annotatis apud Titinium fuisse videri dicit. Bothius, verba extorrem faciam habens pro glossemate, quo explicaverint evallavero, versum asynartetum edidit:

Quam ego hodie hac domo pilatricem pallî pulcre evallavero.

Quare explicaverint evallavero, quum iam Nonius explicasset? Fortasse scribendum:

— Quia ego hódie extorrem
Hánc domo faciam: pílatricem pállai evallávero pulchre.

Aptius in togata palla commemoratur, quam pallium; faciliusque ex pallai, quam ex palli, nasci potuit, quod est in libris, pallia. — In Varronis loco fortasse scribendum est evallaverint.

III.

Nonius p. 179 ed. Merc.: „Tuburcinari significat raptim manducare. Titinius in Praelia:

Tubúrcinari síne me voltis réliquias."

Praelia. Par. pelia.

IV.

Nonius p. 277 ed. Merc.: „Delica est aperi vel explana. Titinius — in Praelia:

Tíbine comoédiam, quám sciam, délicem?“ /

délicem. Vulgo non delicem. Versus testis est, non esse expungendum. Bothius malit: Tibine, com. quam agam, n. d.? Idem: „Comoediam *μεταφορικῶς* pro ludo, seu dolo.“

V.

Nonius p. 290 ed. Merc.: „Disiicere manifestam habet significationem. At plerumque disiicit, dividit. Plautus in Curculione (III. 54): Clupeatus elephantum ubi machaera disiicit. Titinius in Praelia:

— Pérnam totam dísiicit.“

Vulgo: Diligere manifestam habet significationem, ut plerumque. Diligit, dividit, et deinde in utroque loco allato diligit. Veram scripturam suppeditat ed. Par., quae tamen et ipsa habet diligit dividit, omissis verbis Titinius — disiicit. Apud Plautum vulgo legitur dissicit. Salmasius ad Solin. p. 1191. A., cui Dacerius ad Fest. v. Dirigere aliique auscultarunt, tam apud Plautum quam apud Titinium secundum Paullum ex Festo v. Dirigere restituendum putavit dirigit. Suspicari licet, apud Festum quoque fuisse Disiicere pro eo, quod hodie apud Paullum legitur. Bothius in Titinii loco scripsit deligit. Quo quid profecerit, non video. — totam. Jun. marg. coctam.

VI.

Nonius p. 352 ed. Merc.: „Nobilis dicitur — notus. — Unde et nobilitarent notificarent dictum est. Titinius in Prilia:

— Magisque fámae obiectaréntne eam?
Malefáctis nobilitárent?“ —

Prilia. Sic Merc. Vulgo Praelia. Ald. Praelue. Ven. I. II. Par. non habent. — Magisque. Ald. Bas. Steph. Magis quae. — famae. Ven. I. II. Par. Bas. Steph. fame. — obiectarentne. Vulgo obiectarent, ne. Unde Bothius infeliciter:

Magisque famâ oblectarentur, ne eam malefactis
nobilitarent.

VII.

Nonius p. 375 ed. Merc.: „Pariter, convenienter. Titinius in Praelia:

— Nae tu istum
Edepol inedia éxtulisti, páriter ut dignús fuit.“

Bothius: „Extulisti, abstulisti, peremisti.“

VIII.

Nonius p. 509 ed. Merc.: „Severiter pro severe dici auctoritas veterum iubet. Titinius in Prilia:

— Sevériter
Hodié sermonem amíca mecum cóntulit.“

Prilia. Ven. I. II. Par. praelio. Ald. Bas. Steph. praelia. Jun. Proelia. Apud Priscianum XV. 3. 13. p. 1010 ap. Putsch. verba allata ex Titinii Proclia sumpta esse dicuntur.

IX.

Nonius p. 517 ed. Merc.: „Desubito. Titinius in Prilia:

— Sed, amábo, quid desúbito ad me venísti?“

Prilia. Ven. I. II. Par. Ald. praelio. Bas. Steph. praelia. Jun. Proelia. — Sed. Merc. Sede. — desubito ad. Sic Ven. I. II. Par. Recentiores desubito tam repente ad. Bothius: „Genuinum desubito, ut quod explicet Marcellus. Subscripserunt glossema tam repente.“

X.

Festus v. Scraptae, Fragm. p. 66 ed. Dacer.: „Scraptae dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres, ut ait Verrius, ab iis, quae screa iidem (screata olim?) appellabant, id est, quae quis exscreare solet, quatenus id faciendo se purgaret (purget?). Titinius in Prilla:

Rectius mecastor Piculetae, Postume,
Lectum hodie stratum vidi, scraptae mulieris.“

„Piculetae nomen,“ inquit Bothius, „quale esse dicam, nescio, nisi fuerit Porculetae, a porculetum, qualia ridiculi causa fingi solent, vel Porciae lenae, vel etiam Pictiletae, a picto leto, cui similes anus pigmentis oblitae.“ — Postume. Fragm. Postumae. Antiquiores edd. post in me. — vidi, scraptae. Fragm. vidi scrattiae. Antiquiores edd. indiscratie. — mulieris restituerunt viri docti. Cod. muli . . . .

Fortasse scribendum:

Rectiús mecastor pículae tuae, Póstume,
Lectum hódie stratum vídi, scraptae múlieri.

Piculae fieri potuit ut dicerentur mulieres garrulae et ad obiurgandum propensae. Ovidius de Pieri filiabus, in picas conversis, Metam. V. 677 sq.:

„Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.“

Itaque eadem mulier significetur fragm. VIII.; neque hanc diversam fuisse puto ab ea, quae commemoratur fragmm. II. XI. — Ad explicandum Titinii locum facit etiam Nonius p. 169 ed. Merc., qui hausisse videtur ex Gellio III. 3: „Scraptas, scrupedas, strictivellas exprobratio vitii aut deformitatis meretricum. Plautus in Nervolaria: — Scraptae, scrupedae, strictivellae, sordidae.“ Videtur autem scraptae contractum esse ex screaptae nisi, ubicunque hoc vocabulum exstat, secundum Hadr. Junium ad Nonii l. c. restituendum sit screaptae vel, quod tamen Titinii et Plauti locis minus aptum est, screatiae. Turnebus caeteris formis praefert scraciae. Sed vidd. Varronis, Gellii, Festi, Nonii interpretes, et Vossius in Etymol. v. Scrapta.

XI.

Charisius I. p. 99 ap. Putsch.: „Biber, τὸ πίειν (πίνειν). — Titinius in Praelia:

— Date illí biber:
Irácunda haec est.“ —

Barthius Advers. IV. 5: „Sciendum quod illi (Galli) infinitivos in R consonam terminant, omissa quae apud Latinos sequitur vocali, eos vetustissimam eiusdem linguae consuetudinem sequi.“ Idem valet de Hispanis. Verisimile tamen est, non ex illa antiqua et minus usitata forma horum populorum infinitivos ortos esse, sed ex vulgari, omissa postrema littera; quemadmodum Itali hodierni, licet pleniorem formam amplexi sint, saepisssime vocalem illam extrudunt. De similiter decurtatis infinitivis apud Graecos vid. J. G. Huschkius de C. Annio Cimbro p. 56. Vossius Etymol. v. Bibo: „A biber, extrito b, est Belgicum bier, id est, cervisia.“

Afferuntur huius fabulae reliquiae ex Prilia, Praelia, Proelia, Proclia, Prilla. Bis etiam apud Nonium reperimus in edd. Ven. et Par. et semel in Ald. Praelio; semel

item in Ald. Praelue, et in Par. pelia. Fuerunt, qui genuinum putarent Praelia, ut Hadr. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 21, qui idem restituendum putavit apud Festum pro Prilla. Alii ex Prilla fecerunt Palla, ut antiquiores Festi editores, vel Pulla, ut Christophorus Wasius teste Fabricio Bibl. Lat. IV. 1, distinguentes hanc a Praelia. Bothius fabulae titulum fuisse suspicatur Proelium. Sed tantum abest, ut credibile sit, librarios in scribendo tam trito vocabulo toties et tam singulari modo errasse, ut, sicubi Praelio vel Proelio invenitur, hoc ex coniectura posuisse videantur. Posui fragmenta sub Pyrrhiae nomine, et pro certo habeo, sic hanc togatam inscriptam fuisse. Ex fragm. II. enim et XI. intelligimus, prodiisse in ea mulierem furtificam et ebriosam; a qua persona magna argumenti pars videtur pependisse. Atqui apud Horatium Epist. I. 13. 12 sqq. legimus:

„Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomos furtivae Pyrrhia lanae.“

Ad quem locum scholiasta Cruquianus: „Pyrrhia nomen est ancillae in quadam fabula Titinii, quae furata lanae glomos ita gestavit, ut deprehensa sit.“ Neque ita dissimilia inter se sunt Pirrhia et Prilia, unde natae videntur caeterae depravationes. Ex reliquiis autem Pyrrhia videtur potius meretricula fuisse, quam ancilla. Cf. annott. ad fragm. X.

QUINTUS.

I.

Nonius p. 98 ed. Merc.: „Delica, explana, indica. — Titinius in Quinto:

Quid ístuc est, aut ístic sibi vult sérmo? Mater, délica.“

in Quinto. Sic. Merc. Cod. Guelph. et antiquiores edd. vel lib. V. vel libro quinto. — Non. p. 277: „Delica est aperi vel explana. Titinius in Quinto: Quid istuc est, aut quid istic“ etc. in Quinto Merc. Edd. Ven. et Par. in V. Ald. Bas. Jun. lib. V. Ex hoc loco sua sumpsit Stephanus, et Bothius dedit Quid istuc? aut quid istic etc. Bene se habet scriptura prioris loci, ad quam posterior locus est corrigendus; quod fecit Junius.

II.

Nonius p. 277 ed. Merc.: „Delicere est illicere. Titinius in Quinto:

Quod eá parasitus hábeat, ut qui illúm sciat
Delícere, et noctem fácere possit dé die.“

in Quinto Merc. Antiquiores lib. V. — habeat, ut qui. Vulgo habeat, qui, quod versui non sufficit. Vossius Etymol. v. Lacere restituit habeat, quibus; Bothius abbitat, qui vel abbitet, qui. — Noctem facere de die, probe fallere, decipere.

III.

Nonius p. 439 ed. Merc.: „Inter speratam et dictam et pactam et sponsam hoc interest, quod virgo, priusquam petatur, sperata dicitur. — Dehinc promissa dicta vel pacta vel sponsa dici potest. — Titinius in Quinto:

— Cui exácta aetate spónsa sit despónsa.“

in Quinto. Edd. Ven. V. Par. quinto. Ald. Bas. Jun. Divortio. Mercerius ad h. l.: „Titinnius Quinto) ita libri. — Male edebant vulgo, Titinnius Divortio.“ Mirum tamen est, qui natum sit in Ald. istud Divortio, quod deinde etiam in alias editiones transiit. — Cui. Ven. I. II. Par. Ald. Merc. Qui, quod minus in sententiam quadrat. — desponsa. Par. desponsata. Bothius edidit:

Quî exactâ aetate sponso desponsata sit.

Quae scriptura ipsius Nonii verbis refutatur. Dictae exemplum grammaticus attulit ex Virgilio, item pactae; sponsae ex Titinio. De sententia verborum videantur, quae in fine huius fabulae reliquiarum proferuntur.

IV.

Nonius p. 481 ed. Merc.: „Libertatem uti pro uti libertate. Titinius in Quinto:

Item úti eum oportet líbertatem, quí sapit.“

in Quinto. Ven. I. II. Par. in V. Ald. Bas. Jun. lib. V. — Non video, quid Bothium impulerit ad scribendum: Ita ut eum oportet, libertatem qui sapit.

V.

Nonius p. 482 ed. Merc.: „Festinem pro festinantem. Titinius in Quinto:

Nunc hóc uror, nunc haéc res me facít festinem.“

in Quinto. Ven .I. II. Par. in iiii. Ald. Bas. Jun. lib. V. —

— Nunc hoc uror, nunc haec res. Ven. I. II. Par. Nunc hic uror, nunc hac re. — Bothius: „Festinem," inquit, „accipi potest pro subiunctivo verbi festinare, intellecto ut." Et puto, sic accipiendum esse.

VI.

Nonius p. 507 ed. Merc.: „Facitur pro fit. — Titinius in Quinto:

Quantá stultitia cúpidius petúnt consilium,
Bona grátia ut parvífaciatur." —

in Quinto. Ven. I. II. in VI. Par. in sexto. Ald. Bas. libro quinto. Junius omisit in Quinto, Mercerius sequens vocabulum, Quanta. Videtur autem utrumque servandum esse. — cupidius. Vulgo cupidinis, quod metro quidem parum convenit. Jun. marg. libidinis. — Pars huius loci exstat etiam apud Priscianum VIII. 3. 11. p. 789 ed. Putsch.: „Facitur quoque, a facio, pro fit protulerunt auctores. — Titinius in Quinto: Consilium bonum gratia parvifaciatur;" et VIII. 6. 31. p. 801 ap. Putsch.: „Sunt alia (verba), quae in compositione mutant significationem, ut eo neutrum. Similiter facio, quamvis vetustissimi etiam passive hoc protulisse inveniantur. Titinius in Quinto: Bona gratia parvi ut faciatur." Krehlius posteriore loco ex aliquot codd. et ex priore loco edidit Bonum gratia pro vulgata lectione, Bona gratia, putans, Bonum pertinere ad consilium. Sed procul dubio verum est bona gratia. Particula ut autem, quam Priscianus altero tantum loco habet, ponenda esse videtur, quemadmodum apud Nonium scriptum est, ante parvi. Versus sunt iamb. trim. hyperc., quales plures tibi legenti apud Titinium occurrent. Bothius, asynartetos faciens, locum ita offert:

— — Stulti
Cupidius petunt consilium, bona gratia ut parvifaciatur.
Quanta stultitia, quam stulte.

VII.

Nonius p. 536 ed. Merc.: „Tunica est vestimentum sine manicis. — Titinius in Quinto:

— Togis cum cándidis,
Túnicis sordidís, syntheticis." —

Titinius in Quinto: Togis. Vulgo Titinius: Quin togis. Syllaba to, quae bis erat scribenda, a negligenti

librario semel tantum est posita. — syntheticis egregie coniecit Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 779. Libri sint et dicis. Pro et Jun. marg. ut. — In Ven. I. II. Par. et ap. Steph. verba Titinius etc. desiderantur. — Syntheticis, id est, coenatoriis, domesticis. Intelligitur ex hoc loco, syntheses fuisse ex tunicarum genere. Ad sententiam apte Bothius monet, tangi exterius pulchros, interius sordidos.

VIII.

Festus v. Oscum, Sched. p. 84 ed. Dacer.: „In omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opicum pro Osco, ut in Titinii fabula Quinta:

Qui Ópice et Volsce fábulantur; nám Latine nésciunt."

Paullus ex Festo v. Oscum: „Opicum quoque invenimus pro Osco. — Titinius: Opice et Volsce" etc. Utroque loco apud Titinium legitur Osce, quod Bothius servavit. Sed id corruptum esse tam ex Festi quam ex Paulli verbis apparet. Jos. Scaliger restituere voluit Opscum apud Festum, et Opsce apud Titinium; quae scriptura, licet in schedis exstet obsce, hic vel propterea dubitationem movet, quod Festus paullo post in eodem verbo, Sched. p. 86, scribit: „Oscos, quos dicimus, ait Verrius Opscos antea dictos, teste Ennio, quum dicat: De muris res gerit Opscus." Si enim grammaticus paullo ante dixisset, Oscos antiquitus Opscos appellatos esse, hic non idem eum repetiturum fuisse probabile est. Quocirca non dubitavi cum Dacerio apud Titinium restituere Opice; de quo verbo vid. Vossii Etymologicon.

De inscriptione huius fabulae Mercerius ad fragm. I.: „Titinnius in Quinto) Ita scripsi secutus fidem librorum infra capite quarto, in hac ipsa v. delica: ubi hoc ipsum exemplum adducitur ex Titinnii Quinto. nomen id fabulae Titinnianae restituendum infra v. delicere, festinem, et libertatem uti. ubi male, libro quinto. Mansit in Prisciano lib. VIII." Apud Priscianum non est libro quinto, editur in quinto. Quum istud nomen pro libri numero accepissent, postea ex V ortum est etiam IV et VI. Vidd. fragmm. V. VI. Idem error effecisse videtur, ut apud Festum (fragm. VIII.) scriberetur quinta, quum antecederet fabula,

ad quod numerum referendum putarent. Festus autem propterea vocabulum fabula addidisse videtur, ne quis Titinii auctoritatem ex libro quinto afferri opinaretur.

Qualem personam hic gereret iste Quintus, ex reliquiis non apparet; puto tamen nomen esse proprium, non numerale. Ex fragm. III., siquidem veram lectionem amplexi sumus, intelligitur, seni puellam esse desponsam, quae iam esset sponsa alius, haud dubie alicuius adolescentis. Haec puella videtur pronuntiare fragm. I., quum mater significasset, eam seni in matrimonium datum iri. Summa igitur fabulae posita fuerit in fallaciis, quibus puellam, seni ereptam, adolescenti traderent; qua in re praecipue parasitum sua praestitisse colligere licet ex fragm. II. Ac fortasse ab eius nomine fabulae titulus petitus est.

SETINA.

I.

Nonius p. 19 ed. Merc.: „Truam veteres a terendo, quam nos diminutivo trullam dicimus, appellari voluerunt. — Titinius in Setina:

Sapiéntia gubernátor navem tórquet, haud valéntia;
Cocus mágnum ahenum, quándo fervit, paúlla confutát trua."

navem torquet. Legitur torquet navem in edd. Jun. et Merc., quae solae hic totum habent locum. In antiquioribus edd. et cod. Guelph. verba gubernator — valentia desiderantur hoc loco. — Non. p. 502: „Fervit pro fervet. — Titinius in Setina: S. g. navem torquet, non valentia; Cocus" etc. — navem torquet. Jun. Merc. torquet navem. — non. Jun. marg. haud. — Non. p. 186: „Valentia, fortitudo. — Titinius in Setina: S. g. navem torquet, non valentia." — Non. p. 87: „Confutare est confundere vel committere. — Titinius in Setina: Cocus magnum" etc. — Non. p. 249: „Confutare, commovere. Titinius in Setina: Cocus" etc. Antiquiorum edd. monstra hic afferre non est operae pretium. Bothius: „Confutat, compescit, non confundit, committit, commovet, ut placet Marcello."

II.

Nonius p. 123 ed. Merc.: „Itum pro incessu. Titinius in Setina:

— Itum,
Géstum, amictum quí videbant éius.“ —

Par. Item pro incessu; et Item g. a. q. v. eius iuvenilitatem. Antecedit autem apud Nonium Juvenilitas pro iuventus etc. — amictum qui videbant. Steph. amictum videbant.

III.

Nonius p. 144 ed. Merc.: „Nevult pro non vult. Titinius in Setina:

Ipsús quidem hercle dúcere sane eám nevult.“

Ipsus. Par. Ipsius. — Vocabulum eam, quod versus flagitat, Bothio debemus, qui tamen scripsit eam sane.

IV.

Nonius p. 204 ed. Merc.: „Frontem feminino genere Virgilius ait. — Masculino Titinius in Setina:

Quasi Hérmaphroditus fímbriatum fróntem
gestas.“

Both. frontem fimbriatum; imprudens, ut videtur.

V.

Nonius p. 227 ed. Merc.: „Tale positum pro talis. Titinius in Setina:

Accéde ad sponsum audácter: virgo núlla est
tali' Sétiae.“

Tale. Jun. Tali. — audacter. Vulgo audaciter, versu quidem turbato. Correxit Bothius. — tali' Setiae. Sic Gulielmius Verisimil. II. 14 et Bothius. Frustra autem Gulielmius l. c. defendit etiam tale Setiae, quod Nonius sane videtur dedisse. Idem offert Mercerius. Ald. Bas. Steph. Jun. tale etiam est. Jun. marg. tali Setiae. — In Ven. I. II. Par. hic locus desideratur.

VI.

Nonius p. 304 ed. Merc.: „Factio — significat opulentiam, abundantiam et nobilitatem. Titinius in Setina:

— Metuo hércle, Caeso, né nimis stulte fécerim,
Qui ex tánta factióne atque opibus íllam sum ausus ággredi.“

Setina. Vulgo Sed iam. Mercerius: „Locum Titinnii credo esse ex Setina, pro quo irrepserint illa verba, Sed iam. quae et corrupta erant eodem modo in libris in v. confutare, et Valentia.“ Saepius in antiquis libris pro Setina legitur Secina, Sedina vel Sed in. Et vere tracta esse verba allata ex Setina Titinii, magis tibi persuadebis, si contuleris fragm. III. Cf. etiam, quae infra de fabulae argumento exponuntur. — illam. Edd. antiquiores ea. Jun. marg. Merc. eam. — Bothius, in Incerta Titinii haec referens, pluribus verbis locis suis motis admissoque hiatu:

— Sed iam metuo hercle, Caeso, ne nimi' stulte fecerim,
Quĭ eam tanta ex factione atque opibus ausus sum adgredi.

VII.

Nonius p. 548 ed. Merc.: „Cumatilis, aut marinus aut caeruleus, a Graeco tractum, quasi fluctuum similis. Fluctus enim Graece *κύματα* dicuntur. Titinius in Setina:

Et quém colos cumátilis deceat.“ —

Et quem. Both. Ecquem. — deceat. Ven. I. II. Par. decet.

VIII.

Nonius p. 552 ed. Merc.: „Catapulta, iaculum celer vel sagitta. — Titinius in Setina:

Quem procul adspexit, immitter voluit, revortit quoniam catapulta volat.“

immitter. Ald. Bas. mittere. Jun. immittere. — quoniam. Jun. marg. ex coniectura celerius quam. — Ven. I. II. Par. haec tantum offerunt: Revertit qui catapulta volat. Ap. Steph. totus locus desideratur. Palmerius in Spicil., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 782, probante Casp. Schoppio Verisimil. III. 10 restituit:

— Quom procul aspexit imbitere, volat,
Revortit, quam catapulta volat. —

Quam interpretatur tam cito quam, Schoppius citius quam. Bothius:

— Quem cum adspexit procul immittier:
Volvit, revortit, quasi cum catapulta evolat.

„Volvit," inquit vir doctus, „volvitur." Fortasse scribendum:

— Quom procul adspéxit, illum míttere
Voluít. Revortit, quóm iam catapulta ávolàt.

Mittere, non amplius persequi. Catapulta hic dici videtur is, quem alter persecutus est.

IX.

Festus v. Mulleos, Fragm. p. 80 ed. Dacer.: „Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt. M. Cato Originum libro septimo: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alii (sc. magistratus) allucinatos (lunatos?); caeteri perones. Item Titinius in Setina:

— Jám cum mulleis te óstendisti, quós tibi
Adscísti calceós." —

tibi Adscisti calceos. Legitur tibiatis in calceos. Bothius cum Jos. Scaligero scripsit tibiatim calceas. Idem probat Ger. Jo. Vossius Etymol. v. Mulleus. Verum non calcei calceantur, sed pedes. Non est probabile, in fabula, qualis fuit haec Titinii, quemquam prodiisse, cui ius fuerit mulleos calceos gestandi. Quodsi quis earum personarum, quae in hac fabula repraesentatae fuerunt, cum eiusmodi calceis se ostenderat, id ius sibi arrogaverit necesse est. Unde petivimus emendationem. Adscisti autem vocabulum suppeditavit nobis Sauppius amicus.

X.

Festus v. Oreae, Fragm. p. 16 ed. Dacer.: „Oreae, freni, quod ori inseruntur. Titinius in Setina:

— Etsi tacébit,
Tamen gaúdebit sibi prómitti oreás." —

promitti. Editum est permitti. Fragm. promiti. Bothius praebet:

Etsi tacebit, tam oreas permitti gaudebit sibi.

Promitti, laxiores fieri.

XI.

Festus v. Rediviam, Fragm. p. 40 ed. Dacer.: „Rediviam quidam, alii reluvium appellant, quum circa un-

gues cutis se resolvit, quia luere ($\lambda \acute{\upsilon} \varepsilon \iota \nu$) est solvere. Titinius in Setina:

Lássitudó conservúm, rediviaé flagri."

rediviae. Fragm. rediviae et. Salmasius ad Solin. p. 445. D. reduvia; item Vossius Etymol. v. Reduviae. — Lassitudo conservorum est, quo verberando conservi fatigari solent; et reduviae flagri videtur esse, cuius cutis flagro solvi solet vel lacerari.

XII.

Charisius I. p. 98 ap. Putsch.: „Architectonis. Titinius in Setina:

Incensus architectonis."

Steph. insensus architectoni. Both. Incensus architectoni, explicans: „Incensus in architectonem." Fortasse scribendum:

— In cénsus architéctonis.

XIII.

Charisius II. p. 183 ap. Putsch.: „Munde. Titinius in Setina:

Vérrite aedes! spárgite munde! fácite in suo sita quaéque loco sint!

sita quaeque loco. Bas. quaeque loco sita. Putsch. quaeque loco sita ut. Both. sita quaeque loco ut. Steph. haec non habet. Melius omitti videtur particula ut, ne verbum substantivum loco, altera syllaba in thesi posita altera elisa, fere prorsus evanescat in pronuntiando.

XIV.

Charisius II. p. 183 ap. Putsch.: „Titinius in Setina —:

An quía „pol, edepól" fabuláre? edi, médi."

Cf. Barbati fragm. VIII.

XV.

Charisius II. p. 189 ap. Putsch.: „Praefiscini. Titinius in Setina:

Paullá mea, amabo, pól tu ad laudem áddito „praefíscini."

Ne puella fascinetur." Vocabulum laudem non eliditur in caesura; neque est scribendum cum Gulielmio Verisimil. II. 14 tud ad laudem. Temere plura mutavit Palmerius in Spi-

cileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 691, scribens: Paussa, mea, amabo pollulam laudem addito p. Casp. Schoppius Verisimil. I. 17 distribuit verba in duos versus imperfectos. Verba Ne puella fascinetur alii, ut Turnebus Advers. XXIII. 11 et XXVII. 23, Scaliger ad Varr. de L. L. VI. p. 98 ed. Bip., Muretus Variar. lect. IX. 3, ipsius poëtae esse putarunt, alii, ut Gulielmius et Palmerius ll. c., Putschius, Schoppius l. c., Vossius Etymol. v. Fascinum, Bothius, grammaticum ista addere arbitrantur. Similes locos plures apud Sosipatrum invenias, ubi de suo ad explicandum aliquid adiicit; ut dubitari nequeat, eum hic quoque illa addidisse, quibus explicet vocabulum praefiscini. — Titinii verba mire intellexit Turnebus Advers. XXVII. 23. „Titinius," inquit, „in Setina, Paula mea amabo. ecce qui loquitur, Paulam puellam laudare parabat: altera sequitur mox persona, quae id metuit, et praefiscini, metu fascini addi postulabat ad laudem. Pol tu" etc. Rectius Gulielmius l. c.: „Cum — laudaret Setinam virginem pronuba, sive quae alia fuit: interpellat altera (persona), Paulla mea" etc. Neque aliter Schoppius.

XVI.

Charisius II. p. 190 ap. Putsch.: „Publicitus. — Titinius in Setina:

— Statui státuam
Publícitus." —

XVII.

Charisius II. p. 192 ap. Putsch.: „Quo, procul. Maro (Eclog. IX. 1): Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem? Aut cui rei, ut dicas quo prope est, ut eadem gratia Titinius in Setina locutus esse videatur:

De aéde summa, quo évolavit gállus gallináceus.

Non ex qua, neque quo sedet." — aede summa. Bas. aedis anima. — evolavit. Bas. avolavit. Illud sententiae aptius videtur. — neque quo sedet. Bas. nec e quo redit. — Steph. tantum habet Quo avolavit g. g. — Aliter, atque nos, locum accepit Bothius, qui, sublata interpunctione post summa, interrogandi signum posuit post gallinaceus. Sed intelligi videtur ex verbis Charisii, inepte interpretantis quo, quod in utroque exemplo allato significat in quem locum, ita esse interpungendum, ut nos interpunximus.

XVIII.

Servius ad Virg. Aen. XI. 457: „Padusa pars est Padi. — Illud incongruum est, Padusam feminino genere iuxta veteres Padum dictum. Titinius in Setina:

A. Vidístin' Tiberim? B. Vídi. A. Qui illam dérivet, beáverit
Agrúm Setinum.“ —

Setinum. Daniel sentinum. — Vidi. A. Qui illam. Both. Vidi. Illanc qui.

Nomen haec fabula inde accepit, quod in ea repraesentabatur puella Setina pulchra et opulenta. Fragm. II. V. VI. XV. Ex fragm. V. etiam intelligitur, scaenam fabulae fuisse Setiam oppidum. Istam puellam iuvenis mollis et effeminatus in matrimonium petiverat, sed petitam ducere dubitabat. Fragm. III. V. VI. XIV. Cf. Incertt. Titinii X. XIV. Nuptias tamen prodere videntur fragmm. V. XIII.

T I B I C I N A.

Charisius II. p. 189 ap. Putsch.: „Peregre dicimus, quum abit quis in locum, ut Titinius in Setina:

Ut hínc legatus ábiit peregre públice.“

hinc — abiit. Vulgo hic — abit, imperfecto quidem versu. Correxit Bothius.

V A R U S.

I.

Nonius p. 95 ed. Merc.: „Dapalis coena est amplis dapibus plena. Titinius in Varo:

Totó fit in focó de lignis mí dapalis coéna.“

Varo. Cod. Guelph. Ven. I. II. Ald. Bas. Merc. Varro. Par. Var. — fit. Par. sit. — mi dapalis. Cod. Guelph. Merc. Both. indapalis. Edd. antiquiores mihi dapalis. — „Sed quid sibi volunt,“ inquit Bothius, „verba de lignis? Ea nimirum affecta sunt, mutandaque, nisi fallor, in delin-

gens, verbum simillimum, i. e. delincta seu delingenda, activo usurpato pro passivo, sicut saepius. Ollis perversis delingenda de foco nescio quibus fuit coena, indapalis, si quae alia." Quae coniectura, per se quoque parum probabilis, prorsus corruit, sublato indapalis, quod Nonii verba damnant. De lignis videtur significare quod ad ligna attinet, quantum ex lignis iudicare licet, quae in foco sunt collocata; eaque ratione id pertinet ad dapalis.

II.

Nonius p. 131 ed. Merc.: „Lotiolente dictum, veluti lutulente, a lotio. Titinius in Varo:

Lotiolente, flocci fiet et cuculator."

Varo Steph. Vulgo Varro. — fiet. Jun. siet. — cuculator. Cod. Guelph. Merc. cularcultor. Jun. marg. ex coniectura circulator. Bothius suspicatus est: L. f. fiet eius culus ultro, ut poena moechorum intelligatur. Facilius et aptius, ut mihi videtur, illud cularcultor mutare possis in culei cultor vel culi cultor, ut convicium significetur in hominem ebriosum vel paederastam. Quamquam nescio, an defendendum sit cuculator, quo nomine appellari potest, qui semper cuculat, semper eadem crepat, ut hoc quoque pro convicio accipiatur, quemadmodum saepius cuculi nomine usi sunt. Pari ratione in verbo Lotiolente, quod hic non, ut vulgo putant, pro adverbio, sed pro adiectivo, substantivi loco posito, habendum videtur, contineri arbitror convicium, quod, perinde ut lutulente, significet sordide, impure, nequam.

III.

Nonius p. 157 ed. Merc.: „Pauperavit, id est, pauperem fecit. — Titinius — in Varo:

— Aequum est, me habére,
Quos paúperem sumptú meo." —

Varo Jun. Vulgo Varro. Steph. non habet locum. — Quos deberi videtur Lipsio Epistolic. quaest. III. 15. Cod. Guelph. et edd., ante Merc. curatae, eos. — Cf. Privignae fragm.

Ambigitur de titulo. Hadr. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 21, item ad fragmm. I. II. Barathro vel certe, ad fragm. II., Barbato restituendum putat. Tertium locum nec in Elencho nec in margine tetigit. Barathrum titulum

a Titinio prorsus removendum videri, supra monstratum est. Probabile autem videri posset, Varo, Varro, Varto mutandum esse in Barbato, si illud uno tantum loco exstaret; sed ter idem non ita simile vocabulum in eandem abiisse depravationem, qua, quod vel nulla vel minima mutatione aptum titulum praebet, verbum ortum sit, non est credibile. Bothius fluctuat inter Varo et Barro, illud tamen in fronte reliquiarum ponens. Minus verisimile esse arbitror, ubique in hoc vocabulo B in V transiisse, quam aliquoties r litteram duplicatam esse. Librarii, minus sententiam quam singula verba spectantes, inscriptionem habuerint pro Varronis, qui toties a Nonio laudatur, nomine, in quo vel imprudentes vel consulto litteram addiderint. Quo etiam factum videtur, ut ante istud nomen ubique, quam nos praeposuimus, omissa sit in praepositio, quae alibi, in edd. quidem Ven., apud Nonium fere semper fabularum nominibus praefixa apparet. Num autem, qui in hac fabula prodiebat Varus, re vera fuerit varus, an potius eo tantum nomine appellaretur, ex fragmentis non intelligitur.

VELITERNA.

I.

Nonius p. 2 ed. Merc.: „Senium ipsum positum sic (pro malo). Titinius in Veliterna:

— Quod péstis, senia et iúrgia
Sesémet aedibus émigrarunt.“ —

Quod pestis, senia cod. Guelph. et Merc. Ven. I. II. Quod petissenia. Par. Quod petisamnia. Ald. Quod pestis senio. Bas. Steph. Quot pestes senio. Jun., unde vulgo hauserunt, Quot pestes, senia. Certior manifesto est scriptura Quod pestis, senia. — et iurgia. Both. iurgia. — Sesemet aedibus. Sic Gulielmius Verisimil. I. 24. Libri sesemet diebus. Lipsius Antiquar. lect. IV. 5 sese meis aedibus, non improbante Delrio ad Senec. Hippolyt. 914, qui simul coniicit septem vel hiscemet diebus. Casp. Barth. Advers. XVII. 2. Sese mîs aedibus. Both. semet aedibus.

II.

Nonius p. 217 ed. Merc.: „Posticam feminino genere consuetudine appellamus. — Titinius neutro in Veliterna dici probat:

— Atque dúo postica, quaé loco mercéde.“

III.

Nonius p. 277 ed. Merc.: „Damnare et condemnare pro liberare positum est. Titinius in Veliterna:

Fortásse votum eúm fecisse, quó die libér foret.
Nunc éius voti cóndemnatust: ímmolavit hóstiam.“

votum eum fecisse. Vulgo notum fuisse. Steph. Merc. votum fuisse. Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 648, Casp. Schoppius Verisimil. I. 16 votum fecisse. Both. sic votum fecisse. — condemnatust Both. Vulgo condemnatus est. Junius, Casp. Schoppius l. c. condemnatus. — immolavit. Schoppius immolabit.

IV.

Nonius p. 316 ed. Merc.: „Grassari etiam dicimus ambulare. Titinius in Veliterna:

— Vende thénsam ac mulos, síneque eam
Pedibús grassari; cónfringe eius supérbiam.“

Vende Jun. marg. Merc. e codd. Both. Vulgo Unde. — thensam. Sic libri. Rectius tamen scribi videtur tensam. Vid. Voss. Etymol. in h. v. — ac mulos, sineque. Vulgo, metro repugnante, atque mulos, sine. Both. ac mulos; sinito, quae imperativi forma hoc loco aliena videtur. — confringe. Sic Merc. in annott., Vossius Etymol. v. Gradior et Bothius. Ven. I. II. Par. Jun. marg. confingere. Ald. Bas. Steph. Jun. Merc. cum fingere. Jun. suspicatus est confringere. — eius Ven. I. II. Par. non habent. — Bothius: „Eam, uxorem dotatam.“ — Cf. Barbati fragm. V.

V.

Nonius p. 332 ed. Merc.: „Legere — colligere. Titinius in Veliterna:

Hódie hostes fugávit; spólia plácide posteriús leget.“

VI.

Nonius p. 355 ed. Merc.: „Occupare est proprie praevenire. — Titinius in Veliterna:

— Ergo occupá foras exíre, ut praesit línteum.“

ut praesit. Both. et praesit, explicans: „Praetendas ori linteum, ne agnoscaris inter exeundum.“ Pauciora sunt verba, quam ut certo sententiae ratio perspici possit. — linteum. Par. lintheum.

VII.

Nonius p. 391 ed. Merc.: „Stare — horrere significat. Titinius in Veliterna:

Atque íllud ante pártum comedet; fúndi stabunt séntibus.“

Ad explicandam sententiam non absque omni probabilitate Bothius: „Dici videtur,“ inquit, „nescio quod incantamentum. Fundi amatoris fortasse, qui deseruerat virginem vitiatam. Cavebatur in ipsis XII. tabulis, ne quis alienos fructus excantaret. Vidd. Seneca Nat. Quaest. 4, 7, Plin. H. N. 28. 2.“ Cf. in fine huius fabulae reliquiarum annotata.

VIII.

Nonius p. 467 ed. Merc.: „Aucupavi activum positum pro passivo. Titinius in Veliterna:

Id ego aúcupavi; plénas aures áffero.“

affero. Ven. I. II. Par. aufero; non inepte.

IX.

Nonius p. 495 ed. Merc.: „Accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali. — Titinius in Veliterna:

— Omnium vítium expertem, cónsili
Plenúm prohibui.“ —

X.

Nonius p. 509 ed. Merc.: „Disertim dicere plane, palam Titinio auctore possumus in Veliterna:

— Habuí recte disértim.“

Titinio. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Lucilio. Apud Steph. locum non reperi. — recte. Both. rectum, quod necessarium quidem non est. Habui recte, fortasse sc. illum vel illam; ut Plaut. Asinar. I. 1. 63: „Quamquam illum mater arte contenteque habet;“ et Curcul. V. 3. 20: „Bene et pudice me domi habuit.“ Potest etiam habui recte significare iure habui vel possedi. Utut est, mutatione carere possumus.

XI.

Nonius p. 536 ed. Merc.: „Tunica est vestimentum sine manicis. Titinius in Veliterna:

— Túnica et cingula obúncula
Adimétur; pannos póssidebit foétidos.“

cingula obuncula. Ven. I. II. Par. cymbula obuncula. Jun. marg. togula obunctula ex coniectura, ut videtur. Mercerius, qui interdum, non monito lectore, et suas et aliorum coniecturas recepit, togula obuncula edidit. Veram scripturam esse cingula, evincit etiam additum obuncula, quod haud facile ad togam, bene ad cingulam referri potest; licet Bothius annotaverit: „Togula, vel, quod Steph. habet, cingula obuncula quae sint, nescio, suspicorque scribendum esse obunculae, curvae, anui meretrici, cuius ordinis foeminae togatae ambulabant.“ Cingula obuncula profecto simpliciter est curvata sive incurva; quae eius est natura. — Adimetur. Ven. I. II. Par. adunetur. Eaedem inverso ordine fet. poss.

De argumento ex fragm. IV. intelligi videtur, discordiam intercessisse inter maritum et uxorem. Cf. fragm. I. et III., ubi fortasse ad liber intelligendum est molesta uxore. Fragm. V. significari puto virum, qui, quod uxorem domo expulerit, inde emolumenta nacturus esse dicatur. Sed aliter rem evenisse, atque ille pronuntiabat, coniicio ex Incertt. XVI., quem locum ex hac fabula tractum esse arbitror. Causa dissidii fortasse fuit puella Veliterna, unde inscriptio fabulae petita sit, cuique dicantur, quae septimo loco posuimus. Cf. annott. ad fragm. VII.

VOPISCUS.

Vopiscum fabulam Titinio tribuit cum Christophoro Wasio Fabricius Bibl. Lat. IV. 1, Nonium auctorem afferens. Ego nusquam, nec apud Nonium nec apud alium quemquam scriptorem antiquum Titinii Vopiscum commemoratam inveni. Afranii Vopiscus saepissime laudatur.

INCERTARUM FABULARUM TITINII.

I.

Nonius p. 210 ed. Merc.: „Lentem consuetudo femino genere dici vult. — Masculino Titinius:

Lenti calido, eluellae, trapula, romicae.“

eluellae. Ald. Bas. Steph. Jun. duella. Jun. marg. heluellae ex coniectura, ut videtur. — romicae. Ald. Bas. Steph. Jun. romice. Jun. marg. ex coniect. rumici. — In Ven. I. II. Par. hic locus non reperitur. Scaliger ad Fest. v. Obstrudant et ad Varr. de L. L. IV. p. 28 ed. Bip., Vossius Etymol. v. Helluo, Dacerius ad Fest. v. Heluela:

Lenti calido, elvela, rapula, rumices.

Bothius finxit:

Lenti in calido eluta alica; rapula, rumices.

Scribendum arbitror, intellecto addatur vel similis notionis verbo:

— Lénti calido eluélla, et rapulá rumici.

Petita haec fortasse sunt ex Psaltria.

II.

Nonius p. 221 ed. Merc.: „Rictus generis est masculini. Titinius:

Cave, exporge frontem, habeat semper facto rictus.“

facto. Ald. Bas. Steph. Jun. factos. Jun. marg. facito. — Ven. I. II. Par. haec non habent. — Deinde apud Non. p. 455 legitur: „Rictum ferarum dici volunt, quum Titinius auctor sit etiam hominis dici debere: Cave, exporge frontem, labeat s. facto r.“ exporge. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Jun. ex corde. — frontem. Par. fontem. — labeat. Ven. I. II. Par. hanc. — Perott. Cornucop. v. Rictus: Cave frontem hanc et semper patentes rictus. Junius posteriore loco in margine: Cave etiam frontem excordem, labia, supercilia, rictus. Salmasius ad Solin. p. 103. B.: Exporge frontem, habeas semper facito rictus. Bothius edidit:

— — — Cave!
Exporge frontem, et abeat semper fac cito
Rictus.

Non intelligo, quomodo quis cito facere possit, ut semper aliquid abeat. In Cave (Caue), quod ad sententiam reliquorum verborum non videtur necessarium esse, latere puto fabulae inscriptionem, restituendumque Caeco vel potius in Caeco. Caetera fortasse sic scribenda sunt:

Expórge frontem; láteat semper fácito rictus.

Exporge frontem exstat etiam in Terent. Adelph. V. 3. 53. „Rictus,“ inquit Bothius, „contemtum indicans et εἰρωνείαν,

vel superbiam. Cf. Senecam Herc. Oet. 1169, Gellium N. A. 18, 4. etc." Significat autem proprie rictus, derivatum a ringendo, corrugationem oris. Cf. Salmasius l. c.

III.

Paullus ex Festo: „Cannensem cursorem Titinius pro pistore dixit." Jos. Scaliger legendum putavit: Cannensem, cursorem Titinnius praepostere dixit. „Nota est," inquit, „consternatio, et fuga eorum, qui ex Cannensi clade evaserunt: qui noctes, et dies nunquam cursum, et fugam intermiserint. — Ab eo iocolariter Cannenses, hoc est, qui ex clade Cannensi effugerant, vocabantur cursores, ut suspicari licet. At contra, praepostere Titinnius cursorem vocavit Cannensem. Non enim, si Cannenses cursores dicebantur, ab eo consequens erit et cursorem quemvis Cannensem dici." Dacerius: „Ego — existimo Festum non esse assecutum, mentem Titinii, qui Cannensem cursorem, vocavit quemdam suae aetatis hominem ut eum φυγόμαχον — designaret. — Sed alia etiam mens Meursio, putat enim scriptum fuisse canensem unico n. nempe a cane, quod erat vinculi ferreï genus, et catenatos fuisse pistores nemo ignorat. Itaque canensem lepide vocat, tanquam a loco aliquo regioneve nomine deducto. Et cursorem propter cursum quem exercebant in circumagitanda mola." Bothius denique: „pro pistore. Inepta scriptura, nec placet Scaligeri praepostere. Vel praepctiorem scribendum fuerit, vel, quod malim, properiorem, ἀναλογικῶς fictum utrumque verbum, etsi neutrum hodie repereris. Possis etiam pro praestante (p̃stāte, pistore)." Quibus coniecturis si mihi quoque unam licet addere, scribendum censeo: „Canentem cursorem Titinius pro pistore dixit." Canentem, canum.

IV.

Paullus ex Festo: „Moracias nuces Titinius duras esse ait; unde fit deminutivum moracillum." Jos. Scaliger: „Moracias. A mora scilicet voce efficta." Minime tamen male Bothius: „Scribendum censeo Moraculas, a moraculum, i. e. mora; unde recte derivatur moracillum. Licentiâ ridiculâ fictum adiectivum Moraculus, ut Bibaculus, i. e. morans, quia durae nuces moram afferunt dentibus."

V.

Festus v. Obstrudant, Sched. p. 85 ed. Dacer.: „Obstrudant, obsatullent, ab avide trudendo in gulam, non

sumendo cibum. Unde et obstrudulentum . . . . dixit Titinius:

A. Obstrúdulenti áliquid, quod pectám sedens.
B. Aut híc laetaster aút formaster frígidus."

hic laetaster. Sched. luculentaster. — Jos. Scaliger priorem versum sic legit:

Obstrude lentis aliquid, quoad pectam sedens.

Dacerius:

Obstrudulenti aliquid quod adpectam sedens.

Si quid mutandum esset, insererem da post Obstrudulenti. Minus autem offendit hiatus in caesura. — „Obstrudulentum," inquit Bothius, „ridicule ficta vox ad similitudinem verborum esculentum, potulentum, pulmentum." Jos. Scaliger: „Laetaster, *χαριεντιζόμενος*. formaster, *ὡραϊζόμενος*." Eadem cum Dacerio repetit Bothius. Recte. Aliis verbis diceretur Frigide vel insulse hic iocatur. Explicanda sunt praeterea verba laetaster aut formaster frigidus eo, quod scurrili modo alter interlocutor sibi aliquid edendum poposcerat.

VI.

Festus v. Pedibus obsitum, Sched. p. 89 ed. Dacer.: „Pedibus obsitum, id est, pediculis. Titinius pedicosum appellat hoc modo:

Rus detrudetur pedicosus, squalidus."

Paullus ex Festo: „Pedes dicuntur, quos diminutive dicimus pediculos. Ab his pedicosi appellantur; ut est illud: Pedicosus, squalidus, ubi me videt, caput scabit, pedes legit." Apud Festum verba ubi me etc. ex Lucilio laudantur. Pro pedicosus, quod senarius respuit, Dacerius cum Scaligero, qui Festum in depravatos codices Titinii incidisse merito putat, legendum proponit paedidosus. Bothius, nihil mutans, versum habet pro asynarteto, constante ex ithyphall. et iamb. dim. brachycat. Festus, unde hausit Paullus, sane videtur legisse pedicosus. Nihilo vero magis dubito, quin Titinius ita scripserit versum:

Rus détrudetur péduculosus, squálidus.

Si apud Martialem XII. 59. 8. hic versus Phalaecius exstat:

„Hínc mentí dominus pedículosi;"

singulari licentia poëta secundam verbi pediculosi syllabam produxit. Nam proprie ea, quum vocabulum a pede derivatum sit, necessario brevis est. Pertinuisse autem puto fragmen-

tum ad Geminam, eoque significari rusticum, de quo in fine eius fabulae reliquiarum diximus.

VII.

Paullus ex Festo: „Pergraecari est epulis et potationibus inservire. Titinius:

— Hominem ímprobum! Nunc rúri pergraecátur.“

Dacerius: „Pergraecari. Intemperantius bibere Graecorum more, qui remotis epulis, maioribus poculis poscebant. Cicer. in Verr. (II. 1. 26): Fit sermo inter eos, et invitatio, ut Graeco more biberetur. Hortatur hospes; poscunt maioribus poculis; celebratur omnium sermone laetitiaque convivium.“ Asconius: „Est autem Graecus mos, quum merum cyathis libant, salutantes primo deos, deinde amicos suos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties et deos suos et caros suos nominatim vocant.“ Verbum pergraecari reperimus etiam apud Plautum Mostell. IV. 2. 44: „Triduum unum est haud intermissum Scorta duci, pergraecari, fidicinas, tibicinas Ducere;“ et apud Isidorum Orig. XV. 2, ubi ex Frontone haec laudantur: „Ut pergraecari potius amoenis locis, quam coerceri carcere videretur.“ Quos duos locos non norunt lexica. Caeterum hoc quoque fragmentum tractum videtur ex Gemina. Cf. eius fabulae locus XI.

VIII.

Festus v. Rica, Fragm. p. 49 ed. Dacer.: „Rica est vestimentum quadratum fimbriatum purpureum, quo flaminicae pro palliolo mitrave utebantur, ut Verrius existimat. Titi(nius:

— Ríca ex lana) súccida
Albá vestit(a).“ —

Quae uncis inclusimus, ea ab editoribus restituta sunt ex Paulli hisce: „Alii dicunt, quod (rica) ex lana fiat succida alba.“ Scripserunt tamen illi, sicut Vossius Etymol. v. Rica et Bothius, vestitus, quod, quum rica muliebre fuerit vestimentum, in vestita mutandum duxi. Videtur enim istud vocabulum participium, non substantivum, quia minus probabile est, poëtam vestimentum descripsisse, quam nescio quam rica vestitam fuisse pronuntiasse. Vocabulum alba fortasse aptius referes ad rica, quam cum Paullo ad lana.

IX.

Paullus ex Festo: „Succerda, stercus suillum. Titinius:

Quid habés, nisi unam arcám sine clavi? Eó
condis succérdas.“

Apud Festum v. Succerdae, Fragm. p. 54 ed. Dacer., qui hoc loco mutilus est, exstat tantum Quid habes, nisi et vi eo condis. Editores lacunas explerunt ex Paullo. Bothius postrema duo vocabula transposuit. Sed si vel librorum auctoritatem neglexeris, etiam cum vi quadam verbum succerdas in fine versus ponitur.

X.

Festus v. Succrotilla, Fragm. p. 54 ed. Dacer.: „Succrotilla tenuis dicebatur et alta vox. Titinius in . . . . .

(Foemina) fabulare succr(otilla vocula).“

Paullus ex Festo: „Succrotilla vox tenuis et alta. Titinius: Feminea fabula succrotilla vocula.“ Apud Festum Titinii versum scripsimus secundum Fulv. Ursinum. Jos. Scaliger pro Foemina restituit Feminina. Idem ad Varr. de L. L. VI. p. 93 ed. Bip. versum sic exhibet:

Feminea fabella, succrotila vocula.

Perinde Dacerius, vel:

Foemina fabulare succrotila vocula.

Apud Stephanum legimus: Foeminina fabula, succrotilla vocabula. Bothius offert, quae apud Paullum exstant. Verius videtur succrotilus, quam succrotillus, quia probabiliter vocabulum derivatum est a crotalo. Cf. Jos. Scaliger ad Varr. l. c.; Vossius Etymol. v. Succrotilus. Et apud Festum restituendum arbitror: Titinius in Setina:

Femínea fabulás succrotila vócula.

Cf. Setinae fragm. XIV. Feminea, quae virum non decent.

XI.

Festus v. Tam, Sched. p. 90 ed. Dacer.: „Antiqui tam etiam pro tamen usi sunt. — Titinius:

Béne quum facimus, tám male sapimus; út
quidem perhibént viri.“

male sapimus. Vulgo male subimus. Emendavit Bothius. Lipsius Epistolic. quaest. III. 3 voluerat malae audimus; Dacerius malae fuimus. — ut quidem. Vulgo ut quidam. Correxerunt Lipsius et Bothius. „Jactabatur olim,“ inquit Bothius, „vulgi sermonibus, mulieres cor non habere,

i. e. non sapere. Vid. Plaut. Mil. 782 (III. 1. 188), Cistell. 65 (I. 1. 65) sequ." Adde Plaut. Pers. IV. 4. 70 sq. Isidorus Orig. XI. 1: „Splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, iecore amamus." Sumptus est hic versus fortasse ex Gemina.

XII.

Festus ibidem: „Item:

— Quamquam estis níhili, tam ecastór simul
Vobís consului." —

Quamquam. Fulv. Ursinus suspicatus est Quam. — ecastor. Legitur escastor, quod post Stephanum correxit Dacerius. — Verborum ordinem Dacerius ita immutari voluit, ut unus inde nasceretur versus:

Quamquam estis nihili, tam vobis ecastor consului simul.

Caeterum haec quoque fortasse sumpta sunt ex Gemina; eaque pronuntiaverit vir, cum uxore eiusque sorore altercans.

XIII.

Festus v. Tentipellium, Sched. p. 92 ed. Dacer.: „Tentipellium Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur; indeque Afranium dixisse in Promo: Pro manibus credo habere ego illos tentipellium. Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugae extenduntur, quum dicat:

— Tentipéllium
Indúcis: rugae in óre extenduntúr tuo;

quum ille τροπικῶς dixerit." — Inducis. Sched. inducitur. — tuo, quod in libris non est, versus gratia addidimus. Jos. Scaliger ad Varr. de L. L. VI. p. 93 ed. Bip., Vossius Etymol. v. Tentipellium, Dacerius addiderunt tuae. Aliter vero sentit Bothius. „Apparet," inquit, „verba rugae in ore extenduntur non esse Titinii, ut quibus proprie dicatur id, quod τροπικῶς dictum a poëta monet Festus, sed glossema, subscriptum ab aliquo explicatore, quod deinde in ipsum ordinem receptum fuit, sicut fieri solet in hoc genere." Immo, nisi additis his verbis, intelligi non potest, unde Verrius collegerit, tentipellium a Titinio putari medicamentum, quo rugae extendantur. Omnino autem locus hoc modo est explicandus. Tentipellium, a tendenda pelle derivatum, quidvis, quo pellis, vel humana vel alia, tendatur, significare potest, et instrumentum, quo corium porriga-

tur, et medicamentum, quo rugae extendantur. Afranius manifesto figurate, priorem vocabuli significationem respiciens, tentipellium pro manibus deformibus ac praeduris, ut apte explicare videtur Bothius, posuit. Figurate item Titinium locutum esse, Festo credere licet; sed nihilo minus Verrius recte ex eius verbis iudicavit. Quid autem vere a Titinio, si τροπικῶς verba ista protulit, significatum sit, non prorsus liquet. Fortasse alicui os illinebatur luto, quod, quum eo rugae evanescerent, tentipellium appellavit.

XIV.

Paullus ex Festo: „Vibrissare est vocem in cantando crispare. Titinius:

Si erít tibi cantándum, facito usque éxvibrisses.“

Dacerius hoc fragmentum componendum putavit cum eo, quod decimum locum apud nos occupat. Res est dubia; quamquam hic quoque versus, ut ille, ad iuvenem, cui in Setina mollitia exprobrabatur, videtur pertinere.

XV.

Paullus ex Festo: „Mirior dicebant comparativum a miro. Titinius:

— Mírior,
Inquám, tibi videor.“ —

XVI.

Festus v. Osculana pugna, Sched. p. 86 ed. Dacer.: „Osculana pugna in proverbio, quo significabatur, victos vincere; quia in eadem et Valerius Laevinus, imperator Romanus, a Pyrrho erat victus, et brevi eundem regem devicerat. Sulpicius . . . . item imperator noster. Eius rei meminit Titinius hoc modo:

Haec quidem quasi Osculana pugna est . . . . . .
. . r . . secus quia hinc fugere impulsi spolia colligunt.

Significat etiam osculum suavium; ut Plautus,“ et quae sequuntur. Sched. H. q. q. O. pugna est . . . . . secus, quia in fugere polsi hinc spolia colligant. Scaliger: „Osculana. Pro Ausculana. Quae desunt, ita plus minus expleri posse videntur. Sulpitius: Pyrrhum victorem vicit item Imperator noster. Titinii versus non tam divulsi sunt, quam lacunae praeferunt:

Haec quidem quasi Osculana pugna est, non secus. Quia, hinc qui fugere impulsi, spolia colligunt." Dacerius: „Osculana pugna. Pro Ausculana. Quae infra desunt sic expleo: Brevi eundem regem devicerat Sulpicius Saverio item Imperator noster." Titinii versus restituit, ut Scaliger, cui Delrius quoque auscultavit in comment. ad Senec. Agamem. 865. Videtur autem cum Bothio scribendum esse:

Haec quídem quasi Asculána pugna est, nón secus;
Quia, quí fugere púlsi hinc, spolia cólligunt.

„Vix quidquam deest," inquit vir doctus, „praeter negationem, cuius vestigium superest in r littera: nam qui pronomini, quod addendum fuit, antecedentis verbi quia offecisse videtur similitudo. Quemadmodum nos quoque nonnunquam maiora verborum intervalla reperimus in vetustis libris, ubi paucula desiderabantur." Vocabulum in, quod schedae habent, ortum videtur, quum q littera antecedente a absorberetur; illudque postea verbo pulsi additum est.

Quod ad ipsam illam pugnam attinet, Dacerius annotavit: „An. U. C. 473 Valerius Laevinus a Pyrrho victus, qui Pyrrhus anno sequenti a P. Sulpicio Saverione (Saverrione) superatus, ut narrat Livius. Quamquam Plutarch. (Pyrrh. XXI.) hanc secundam pugnam in consulatum Fabricii Luscini et Aemilii Papi reiicit qui post Sulpicium consules fuere." Bothius contra: „Sed de Sulpicii victoria ne Livius quidem mentionem facit in epitome libri 13; in sequente autem Pyrrhum, reversum ex Sicilia in Italiam, victum narrat a Curio Dentato. Et Florus 1. cap. 18: In Apulia deinde (a. U. C. 475) apud Asculum melius dimicatum est, Curio Fabricioque Coss." A Curio et Fabricio Pyrrhum victum esse, narratur etiam apud Aurel. Victorem de Viris illustr. XXXVIII. Nec tamen una consul fuit Curius cum Fabricio. Pergit Bothius: „Fons erroris ipse Pompeius noster. — Sed minor Festi, praesertim mutilati, quam Flori atque Plutarchi auctoritas, nec dubitavi ponere, quod Schellero placuit in lexico Latino, Asculana, ab Asculo oppido Apuliae, ubi alterum illud proelium commissum est, potius quam Ausculana, cuius loco Osculana scriptum contendunt Scal. et Dacerius, cum verisimilius sit, a et o litteras forte commutatas inter se fuisse h. l., sicut alibi saepius." Festus tamen ipse, ut apparet ex additis verbis Significat etiam osculum etc., haud dubie scripsit Osculana. Neque rem absolvit Bothius de

pugnis, inter Romanos et Pyrrhum commissis, de quibus accuratius dicendum est. Duces nobis hic praecipue sequendi sunt Livius et Plutarchus, ut qui diligentius rem tractaverint. Tres pugnae inter Romanos et Pyrrhum commissae sunt: prima ad Heracleam, altera ad Asculum, tertia ad Beneventum. Pugnam ad Heracleam commissam commemorant etiam Florus et Victor, ad Asculum commissam nominatim tantum Florus; sed uterque secundam et tertiam confudit. Primo proelio Pyrrhus vicit Laevinum consulem, cepitque Romanorum castra. Vid. praeter Florum et Victorem ll. c. Plutarchus Pyrrh. XVII. Apud Livium de eo legitur in Epitome libri XIII.: „Valerius Laevinus consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime inusitata facie territis militibus.“ De secundo proelio, ad Asculum commisso Fabricio consule, Plutarchus scribit XXI.: „*Διελύθησαν δ' ἀμφότεροι* (Pyrrhus et Romani)· *καὶ λέγεται τὸν Πύῤῥον εἰπεῖν πρός τινα τῶν συνηδομένων αὐτῷ· Ἂν ἔτι μίαν μάχην Ῥωμαίους νικήσωμεν, ἀπολούμεθα παντελῶς.*“ Deinceps narratur, Pyrrhum, rebus ipsi adversus Romanos haud ex optato procedentibus, data occasione in Siciliam profectum esse. Idem illud proelium sine ulla dubitatione significatur apud Livium l. c. his verbis: „Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est.“ Tertio proelio Pyrrhus, e Sicilia redux, victus est a M'. Curio Dentato, Italiaque expulsus, ut diserte narratur apud Livium in Epitome libri XIV. et apud Plutarchum XXV.; sed locus, ubi illud commissum est, tantum apud Plutarchum indicatur. Quum igitur Romani ad Asculum victores non evasissent, proverbium non potuit inde oriri, quod, qui ante a Pyrrho victi essent, postea eum ad Asculum vicissent; quae videtur et interpretum Festi et Bothii sententia. Quin etiamsi vere vicissent Romani ad Asculum, tamen mire dicta esset Asculana eiusmodi pugna, qua victi vincerent, si simul respiciendum esset ad Valerii Laevini cladem, qui biennio ante victus erat. Et per se verisimile est et ex Titinii loco, quamvis affecto, colligere licet, uni eidemque proverbium illud originem debere pugnae, qua victi plus utilitatis habuerint, quam victores. Festi loco nihil tribuendum videtur, minus propterea, quod mutilus est, quam quod ipse scriptor parum concinna narravit. Optime se habet emendatio Asculana pugna, quam primus proposuit Turnebus Advers. III. 11; resque hoc modo est explicanda. Victi sunt ad Asculum Romani; sed ita, ut hostis pronuntiaverit: „*Ἂν ἔτι μίαν μάχην Ῥωμαίους νικήσωμεν, ἀπολούμεθα παντελῶς;*“ neque ulterius victos persecutus sit, sed statim, ar-

repta occasione, se reciperet, terramque relinqueret. Asculana igitur pugna victi vicerunt: Pyrrhus victor ex ea percepit detrimentum, Romani victi, quum ea gravi hoste liberati sint, laboris fructum. Caeterum Titinii versus, a Festo hoc loco positi, sumpti videntur ex Veliterna. Significatur fortasse uxor, quae, domo expulsa, dotem repetit. Cf. Veliternae fragm. V. et in fine eius fabulae reliquiarum annotata.

XVII.

Priscianus VI. 3. 15. p. 683 ap. Putsch.: „Nemo — communis est generis, et — o in i convertit in genitivo, ut nemo neminis. — Titinius:

— Quód rogas,
Néminem decét bonam.“ —

XVIII.

Priscianus XV. 3. 13. p. 1010 ap. Putsch.: „Severiter pro severe. Titinius —. Idem blanditer, benigniter.“

XIX.

Charisius I. p. 40 ap. Putsch.: „Ab hoc osse huius ossis. Sic enim debet declinari, non ab hoc osso; sicut Varro dixit: Osse scribebant; et Titinius:

— Velim ego osse aráre campum céreum.

Huius nominativus est hoc os; quamvis (Cn.) Gellius libro XXXIII. dixerit: Calvariaeque eius ipsum ossum expurgarunt inauraruntque.“ Idem I. p. 112: „Os monosyllabum extra analogiam esse Plinius eodem libro sexto scribit, et addit, eo magis consuetudinem in eo esse retinendam. Titinius: Velim e. o. a. c. c. Varro quoque: Osse, inquit, scribebant, non osso. Ossum dici non potest. — Gellius tamen“ etc. Comparatis inter ipsos his locis apparet, in priore eorum legendum esse, ut correximus: Huius nominativus est hoc os, non, quemadmodum editum est, hoc osse. Neque igitur Bothius reprehendere debebat Sosipatrum, quasi osse pro nominativo habuerit. Perperam etiam in altero loco legitur Os monosyllaba, quod emendavimus. — Casp. Barthius Advers. IV. 21: „Veteres cum calamorum usus non esset, scribere solebant ossibus praeparatis, iisque etiam usi vice stylorum in cera.“ Deinde affert Varronis locum Titiniique. Sed ex his quidem locis non patet, veteres etiam pro calamis usos esse ossibus; neque omnino illud est probabile. Procul dubio, simulatque atramento scri-

bere coeperant, etiam calamis utebantur. — Vossius Etymol. v. Codex: „Quod — codicem dicimus pro libro, id est ab antiquorum more, scribentium in tabulis e caudice sectis. Eae tabulae cera inducebantur; unde in iis scribebant osse. Varro —. Et Titinius —. Postea tamen commodior visus aenei styli usus.“ Vera haec; quamquam apud Isidorum legimus Orig. VI. 9: „Graeci — et Tusci primum ferro in ceris scripserunt; postea Romani iusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Unde et apud scribas dicebatur: Ceram ferro ne caedito. Postea institutum est, ut in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta, in satira dicens: Vertamus vomerem in ceram mucroneque aremus Osseo.“ Fortasse tantum per aliquod tempus intermedium Romani ossibus scribebant, ut recentioribus temporibus antiquissimorum usus reviviisceret.

XX.

Servius ad Virg. Aen. IV. 346: „Capessere, occupare. — Quidam (se) capessere pro ire accipiunt; ut Titinius:

Lúcius domum sé capessit.“ — .

T. QUINCTII ATTAE.

Tito praenomen fuisse poëtae, Hieronymus auctor est in Chronico Eusebiano *); neque est, quod de hoc testimonio dubitemus, licet apud Diomedem III. p. 488 ap. Putsch. legatur: „Togatas tabernarias in scaenam ductaverunt praecipue duo, Afranius et G. Quinctius.“ Nam pro G. Quinctius sive C. Quinctius, quod Lud. Carrio Emendatt. I. 14 in nescio quo codice reperit, quum in antiquissimis editionibus exstet Q. Ennius, simpliciter nomen scribendum videtur Quinctius, quod melius etiam respondet antecedenti Afranius. Inepte Jacobus Nicolaus Loensis Miscell. epiphyll. IX. 18 illud Q. Ennius mutare voluit in Vectius Titinnius. Pro cognomine Atta in antiquis libris saepissime legitur Accius, Actius, Attius; interdum etiam Acta vel Ata. Cum Attii tragici nomine togatarum scriptoris nomen confusum esse videtur a librariis imprimis eo, quod illius celebritas multo maior fuit, quam huius, de quo Paullus ex Festo: „Attae appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, et attingunt magis terram, quam ambulant; quod cognomen Quinctio poëtae adhaesit.“ Cf. Vossius Etymol. v. Atta. Aliam eiusdem nominis significationem idem Paullus statim in sequentibus exponit: „Attam pro (prae?)

*) Bothius: „Quod ad praenomen viri attinet, Titus Quinctius Atta vocatur etiam a Scholiaste Cruquiano.“ Ego apud hunc scholiastam tantum cognomen inveni, omisso praenomine et nomine. Cruquius ad Horat. Epist. II. 1. 79 eum appellat Titum Quinctium Attam.

reverentia seni cuilibet dicimus, quasi eum avi nomine appellemus." Ad illud cognomen probabiliter statuunt allusisse Horatium, scribentem Epist. II. 1. 76 sqq.:

„Indignor, quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper,
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti paene patres: ea quum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit."

Cf. Weichertus de M. Furio Bibaculo p. 9 sq.

De tempore, quo vixerit Atta, et de loco, ubi degerit, hoc tantum scimus, quod Hieronymus in Chronico Eusebiano refert: „Olymp. CLXXV. ann. III. (id est, anno U. C. DCLXXVI. sive ante Chr. n. LXXVIII.) Titus Quinctius Atta (ed. Steph. ann. 1512 Titus Quintius acta), scriptor togatarum, Romae moritur; sepultusque via Praenestina ad milliarium secundum." Perperam cum Gyraldo nonnulli pro Olymp. CLXXV. ann. III. retulerunt Olymp. CLXX.; unde factum videtur, ut alii, velut Weichertus l. l., hunc togatarum poëtam anno U. C. DCLII. sive ante Chr. n. CII. diem obiisse dicerent. Apud Funccium de Adolesc. Lat. ling. p. 90 Atta inter Lucilii amicos recensetur. Eius rei causa videtur esse Nonii locus p. 139 ed. Merc.: „Muginari, murmurare. Lucilius libro septimo: Muginamur, molimur, subducimur. Atta" et quae sequuntur; unde Glandorpius Onomast. v. Quintii: „Nescio ad hunc an ad alium scripserit Lucilius; Muginamur, molimur, subducimur Atta." Sed hodie nemo dubitat, quin post subdu-

cimur interpungendum sit, trahendumque Atta ad sequentia. Manifestus autem error est Schoellii Histoire abrégée de la litt. Rom. T. I. p. 138: „Aulugelle (N. A. XIII. 2) rapporte une jolie anecdote sur une visite que Quinctius Atta fit à Pacuvius retiré à Tarente.“ Nam apud Gellium non de Quinctio Atta, sed de L. Attio sermo est.

Quod ad opera Quinctii poëtae attinet, maxime togatae eius gloriam quandam assecutae sunt; quod non tantum Diomedes probat, quum eum praecipue cum Afranio togatas tabernarias in scaenam ductavisse dicit, sed ipse quoque Horatius, ubi fabulas eius reprehendit, vulgari opinioni adversans. Ad nomen Attae allusisse puto Horatium propterea, quod versus eius claudicaverint. Cf. Megalensium fragm. Fronto Epist. IV. 3. p. 95 ed. Mai. Attam in verbis muliebribus elegantem dicit. Euanthius in commentatione de Fabula eum magnum comicum appellat; nonnulla tamen in eo, sicut in aliis, vituperans. „Illud,“ inquit, „est admirandum, quod (Terentius) et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto et ab Afranio et Atta et multis fere magnis comicis invenimus.“ Sic enim legendum. Vulgo pro Atta exhibetur Accio, quod, quia Attius in tragoediis tantum scribendis excelluit, ferri non potest. Auctoritas tamen Attae non ita saepe a grammaticis citatur. Decem adhuc exstant tituli eius fabularum, quarum plures semel tantum commemorantur. Praeter togatas autem epigrammata quoque et satiras edidit. Ex epigrammate Attae Nonius p. 202 ed. Merc. v. Crines hunc versum affert:

„Praétereá tu sís resolúta críne capíllus;“
e satira Isidorus Orig. VI. 9 haec:

„Vértamús vomerem ín cerám mucróneque arémus
Ósseo.“ —

Unde vero colligi possit, eum Atellanas composuisse, id quod Bothius perhibet, me fugit. Neque opus est ex Horatii loco posito cum Bothio statuere, Quinctium tragoedias scripsisse, quas egerit Aesopus tragoedus. Nam sententia illius loci haec potest esse: Ab Aesopo et Roscio egregiae tantummodo actae sunt fabulae, quas reprehendere nefas est; atque ex harum numero Attae quoque togatae sunt. Itaque ab altero utro quidem, aut ab Aesopo aut a Roscio, actae putandae sunt; minime vero necessario ab utroque. Vana igitur etiam sunt, quae profert Wolffius de Canticis in Rom. fab. scen. p. 15: „Horat. Epp. 2, 1, 79 ab Aesopo et Roscio fabulas Quintii Attae actas testatur; quem Attam quanquam fabulas e comoediarum classe et genere, togatas, composuisse scimus, propius tamen ad tragicam severitatem haec dramata accedebant.“ Qualis fuerit togatarum severitas, suo loco a nobis demonstratum est.

AEDILICIA.

I.

Gellius VII. 9: „Poposci, momordi, pupugi, cucurri probabiliter dici videntur; atque ita nunc omnes ferme doctiores huiusmodi verbis utuntur. Sed Q. Ennius in Satiris memorderit dixit, per e litteram, non momorderit. — Pepugero aeque Atta in Aedilicia dicit:

Sed sí pepugero, métuet.“ —

Atta. Sic libri mss. testibus Lud. Carrione Emendatt. I. 14

et Jo. Fred. Gronovio. Edd. vett. Accius. — Aedilicia. Glandorpius Onomast. v. Quintii aliique legerant Aedilibus, quod, ut videtur, codices ignorant. Cf. Carrio l. l.

II.

Diomedes III. p. 487 ap. Putsch.: „Planipedis Atta, togatarum scriptor, ita in Aedilicia fabula meminit:

Datúrin' estis aúrum? exsultat plánipes."

Atta. Olim vulgo Accius vel Attius vel Actius, quod Jac. Nicolaus Loensis Miscell. epiphyll. IX. 18 mutandum esse putavit in Vectius. Apud Rhabanum Maurum de Art. gramm. II., Opp. T. I. p. 47 ed. Colon., ubi Diomedis locus repetitur, pro eo exstat acta. — Daturin' estis aurum. Sic Carrio Emendatt. I. 14. Putsch. Both. Olim vulgo legebatur Datum inest aurum. Codd. teste Carrione Datur inest scaurum. Steph. Datum est aurum. Apud Rhabanum Maurum exstat datur inest Scaurus. Possis etiam cum Ger. Jo. Vossio Institutt. poët. II. 32. 1. Daturine estis aurum.

Argumentum fabulae pertinuit fortasse, ut ex inscriptione coniicio, ad ludos sive munera Aedilicia. Cf. annott. ad Afranii Compitalium fragmm. in fine.

AQUAE CALDAE.

I.

Nonius p. 133 ed. Merc.: „Lupari, ut scortari vel prostitui. Atta in Aquis caldis:

Quum méretrices in nóstro ornatu pér vias lupántur."

Atta. Ven. I. II. Acta. Par. Actius. Ald. Turpil. acta. Bas. Turplius acta. Jun. Turpilius Acta. Inde apud Stephanum Turpilio Acta fabula tribuitur. Latet me, unde istud Turpil. vel Turpilius natum sit, quod codices habere non videntur. — in Aquis caldis. Cod. Guelph. Bas. Steph. Jun. Atqui scalis. Ven. I. II. Ald. atque scalis. Par. Atque escalis. — meretrices. Sic Merc. Both. Vulgo meretrice, quod natum est, quum antecedens vocabulum, cum, pro praepositione acciperent. — in nostro. Sic corrigendum arbitror. Cod. Guelph. Ald. Steph. Jun. e

nostro. Bas. e nostra. Ven. II. Par. a nostro. Ven. I. Merc. Both. nostro, quod versui non sufficit; nisi cum Bothio scripseris Quumque pro Quum. Praetulerim equidem Quoniam.

II.

Nonius p. 139 ed. Merc.: „Muginari, murmurare. — Atta in Aquis caldis:

— Átque etiam múginantúr hodie.
Átque ego occlúsero fóntem." —

Atta. Ald. acta. — in Aquis caldis. Cod. Guelph. qui scaldis. Ven. I. II. Par. Ald. quis caldis. — etiam Bothius. Cod. Guelph. Ven. I. II. eta. Ald. Merc. eia. Bas. Jun. ea. Jun. marg. ita. Par. non habet. — ego occlusero fontem. Cod. Guelph. ego.° culsero fontem. Ald. Bas. ego occlusero fonte me. Merc. ego clusero fontem. Both., versum iamb. tetr. cat. faciens, ego fontem occlusero. Idem verba divisit inter duas personas; quod mihi necessarium non videtur. — Apud Stephanum hic locus non reperitur. — Muginantur videtur potius morantur apud Attam significare, quam murmurant. Vidd. lexica.

Aquae caldae titulus arguit oppidum, quo homines lavationis gratia convenire soleant; idque confirmat posterius fragmentum, quod haud dubie est aquarum magistri. Cf. Dissert. de fab. tog. VII. Quae priore loco exhibentur, ea esse puto matronae, indignantis, hic non, ut Romae, meretrices propriam suam vestem, togam, gestare, sed, ut inter peregrinos honestiores appareant, feminarum ingenuarum, stolam. Cf. Afranii Excepti fragm. XV.

CONCILIATRIX.

Gellius VII. 9: „Atta in Conciliatrice:

— Ursum sé memordisse aútumat."

Cf. Aediliciae fragm. I. — Atta libri mss. testibus Carrione Emendatt. I. 14 et Gronovio. Edd. vett. Accius. — Conciliatrice. Pro eo olim etiam Conciliatore legebatur. Vidd. Glandorp. Onomast. v. Quintii, Carrio l. l. — Nonius p. 140 ed. Merc.: „Memordi, peposci, pepugi, spe-

pondi in veteribus lecta sunt. Atta in Conciliatrice: Ursum" etc. — Atta Carrio, Both. Vulgo Accius vel Actius. — Conciliatrice. Sic Carrio, Merc. Both. Olim vulgo Honilia: Atrice. Steph. Honila. Attrice. Pro Honila Steph. restituere voluit Iliona, quum Attii verba esse putaret.

GRATULATIO.

Nonius p. 496 ed. Merc.: „Veteribus genitivum pro accusativo poni placet. — Atta in Gratulatione:

Nihílne te populí veretur, quí vociferare ín via."

Atta in Gratulatione. Olim vulgo acta gratulatione; coaluerantque haec cum antecedentibus Pacuvii verbis. In unum confusa hic esse duo exempla, iam Stephanus vidit. Atta Gratulatione restituit Lipsius Antiquar. lect. IV. 5; unde fortasse hausit Mercerius. Struvius Ueber die Lat. Decl. und Conj. p. 127 suspicatus est Atta Lucubratione.

LUCUBRATIO.

Nonius p. 468 ed. Merc.: „Auspicavi pro auspicatus sum. — Atta in Lucubratione:

Cum prímo luci hódie ut exornáta sit,
Atque ut aúspicetis: crás est communís dies."

Atta. Ven. I. II. Par. acta. — Lucubratione: Cum primo. Junio in mentem venit Lucubrationum primo. — luci. Par. lucu. Hoc vocabulum non eliditur; nec tamen quidquam mutandum arbitror. Cf. Titinii Fullonum fragm. XII.; eiusdem Incertt. V. Bothius priorem versum sic scripsit:

Cum primo luci ut exornata hodie sit, atque.

Facilius inseri possit ea vel haec ante hodie.

Quod ad argumentum fabulae attinet, ex inscriptione ac fragmento colligi potest, noctu nuptiarum praeparationem in ea factam esse. Exornata sit, sc. sponsa; quod probant sequentia Atque ut auspicetis. Nuptiae enim legitimae, nisi auspiciis adhibitis, non fiebant. Quid sit communis dies, Bothius docet ex Macrob. Saturn. I. 16: „Dies autem postridianos ad omnia maiores nostri cavendos putarunt; quos etiam atros, velut infausta appellatione, damna-

verunt. Eosdem tamen nonnulli communes, velut ad emendationem nominis, vocitaverunt." Idem conferri iubet Gell. V. 17; Fest. v. Nonarum; eorumque, sicut etiam ipsius Macrobii, interpretes.

MATERTERA vel MATERTERAE.

Scholiasta Cruquii ad Horatii illud Epist. II. 1. 79 sq.: Recte necne crocum floresque perambulet Attae Fabula: „Quae inscribitur Matertera." Idem addit: „Recte necne perambulet crocum floresque, id est, in scaenam recepta sit, quae floribus et croco spargitur." Meliora, quod quidem attinet ad explicationem verborum crocum floresque perambulet, proferre videtur Porphyrio: „Atta, togatarum scriptor, in fabula, quae inscribitur Materterae, ita florum genera enumerat, ut sine dubio reprehendendus sit ob nimiam loquacitatem." Inde fluxisse videntur, quae apud Acronem legimus: „Atta togatarum scriptor tragoediarum vel comoediarum fuit antiquus, qui in suis dictis ita florum genera repetit et enumerat, ut sine dubitatione reprehendendus sit ob nimiam loquacitatem." Afranii Matertera vel, quod verius videtur, Materterae saepius commemoratur. Quare Bothius, cui tantum commentatoris Cruquiani locus innotuerat, Afranio soli vindicandam putavit huius nominis fabulam. Sed etiamsi non confirmarent illius scholiastae testimonium Porphyrionis verba, tamen periculosum esset, propter hoc unum, quod semel tantum eam composuisse traderetur, poëtae fabulam abrogare. Si tali modo iudicare liceret, non solum Attae, sed aliorum quoque multorum scriptorum, quod quidem ad librorum copiam attinet, gloria maxime minueretur.

MEGALENSIA.

Servius ad Virg. Eclog. VII. 33: „Sinus genus est vasis. Quod quum significamus, si producitur; quum vero gremium significamus, si corripimus. Varro de Vita populi Romani: Aut lepestam, aut galeolam, aut sinum dicebant. Tria enim, pro quibus nunc acratophoron dicitur. Atta in Megalensibus:

— Nempe ad ménsam,
Ubi sérmo de sínu solét suboríri."

In scholiis antiquis, quae primus edidit Angelus Maius, ad Virg. l. c. legimus: „Atta in Megarensibus: Nempe . . . . sinus apud mensam, ubi sermo solet suboriri seditiosus.“ Intacta videntur, quae apud Servium exstant. Versus habeo pro Bacchiacis, licet in altero eorum tertius pes sit amphibrachus. Quid sibi voluerit Lionus, Ad mensam nempe legendum suspicans, non video. Bothius edidit:

Nempe ad mensam, sermo ubi de sinu suboriri solet;

ipse annotans: „Satis inficetus versus.“

Praeter Attam Afranius quoque Megalensia scripserat. Diei festo utramque fabulam compositam fuisse videri posse, annotatur ad Afranii Compitalium fragmm. in fine.

SOCRUS.

Priscianus VII. 12. 64. p. 764 ap. Putsch.: „Lentis — pro lens, et paris pro par. Atta in Socru:

Ad hánc fortunam accéssit fortuna eí paris.“

Atta in Socru. Krehlius, qui edidit Ata in socru, ad h. l.: „MS. Dresd. in alia omnia abit scribens: idem Ennius protulit. MS. Lips. 2. Atta. Erl. 1. Ita. Edd. Ven. Actius. Lips. 1. arta et e corr. atra. Putschius Atta.“ — fortuna ei Bothius metri gratia recte videtur scripsisse, quum libri habeant ei fortuna.

Fortasse Attae Socrus aliquid similitudinis habuit cum Terentii Hecyra et cum Apollodori fabula, unde suam expressit Romanus scriptor.

SUPPLICATIO.

Macrobius Saturn. II. 14: „Nux Graeca haec est, quae et amygdale dicitur; sed et Thasia eadem nux vocatur. — Atta — in Supplicatione:

, — Nucem Graécam favúmque;
Ádde, quantúm lubet.“

Nisi fallimur, prior versus fuit Bacchiacus, alter Creticus; quae metra saepissime consociantur. Fortasse etiam Creticus

dimeter hic habendus est pro clausula; sicut saepissime. Bothius, versus asynartetos esse putans, sic edidit:

— — Nucem
Graecam favumque adde, quantum lubet. —

TIRO PROFICISCENS.

Priscianus VIII. 14. 78. p. 828 ap. Putsch.: „A villico — villico vel villicor dicebant antiqui. Atta in Tirone proficiscente:

— Pater
Víllicatúr tuus; máter iam víllica est.“

mater iam. Legitur iam mater, quae transposui, ut ictus cadat in priorem syllabam verbi mater. Nam versus videtur Creticus. — villica est e septem codicibus et ex edd. Ven. Krehlius edidit. Unus cod. Krehl. offert villicata. Vulgo villicata est.

Quae Bothius ex Boettigeri Prolusione de originibus Tirocinii apud Romanos laudat, ea non omnia pertinere videntur ad Attae Tironem proficiscentem, qui, quae erat togatarum tabernariarum natura, miles gregarius ad bellum proficiscebatur.

INCERTARUM FABULARUM ATTAE.

I.

Servius ad Virg. Georg. I. 43: „Vere novo. — Novum ver ideo ait, quia anni initium mensis est Martius. Et sciendum, decem tantum menses fuisse apud maiores. Martium autem anni principium habere voluerunt propter Martem, suae gentis auctorem; quod multis firmatur auctoribus. — Atta:

Annúm novum voluérunt esse prímum mensem Mártium.“

Annum novum, id est, annorum novorum.

II.

Pergit Servius l. c.: „Et alibi:

— Maiores Mártium
Prímum habuerunt.“ —

Bothio inconcinna haec videntur. Edidit:

— Maiores primum habuerunt Martium.

III.

Festus v. Pueri, Fragm. p. 24 ed. Dacer.: „Pueri im(puberes dicuntur, in quo significatu ut)itur Atta (in . . . . pluribus) versibus docet . . . .“ Uncinis inclusa profecta sunt a Fulvio Ursino.

IV.

Nonius p. 219 ed. Merc.: „Penus generis feminini. — Masculini. Pomponius Dogali: Unum penum quae omnem. Caeterum aliam praeberem penum. Naevius: Do facta meum in penum componam satius est.“ Sic olim legebatur locus, quem Palmerius in Spicil., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 770, corrigit hac ratione: „Pomponius Dotata: Vinum penumque omnem. Novius Dotata: Caeterum alium praeberem penum. Atta: Meum in penum componam satius est.“ „Quod itaque,“ inquit corrector, „de hoc loco suspicer, dicam. Pomponius Dotatae titulo fabulam scripsit, — scripsit quoque Dotatam Novius. Hac occasione scribae locum hunc contaminarunt. Atta autem togatarum scriptor.“ Junius pro Dogali: Unum penum quae coniecerat Do illi vinum penumque; idem cum Stephano Dotata pro Do facta. Mercerius edidit: „Pomponius Dogali: Vinum, penumque omnem, * ceterum aliam praeberem penum. Novius: Do facta meam in penum componam satius est.“ Idem annotavit: „Pomponius Dogali) ita libri. Scribe, Dotata. et mox, Novius Dotata. Pomponii Dotata supra in v. Efflictim, et paulisper. Novii infra, artivit. Sed Novii locus et qui imperfectus alterius Scriptoris, exempla sunt penus femininae.“ Ex Nonii tamen verbis intelligitur, ista exempla esse penus masculini. Bothius, glossemata hic deprehendisse sibi visus, restituit: „Togatis (vel Dotali): Vinumque et ceteram omnem praeberem penum. Novius: De facto meam in penum componam satius est.“ Munkius denique de Pomp. Bon. p. 69 proponit: „Doga: Illi vinum penumque, quae omnem — — Ceterum aliam praeberem penum.“ Putat is, Nonium ex Doga fabula duo attulisse fragmenta, quorum alterum in fine mutilatum sit. Hic imprimis quaeritur, num in Nonii loco allato, ut suspicatus est Palmerius, Attae nomen lateat. Vidimus, apud Nonium pro Atta fere scriptum esse acta; idque, ut Palmerius, coaluisse arbitror cum antecedente Dotata. Totus locus

autem ita mihi scribendus videtur: „Pomponius: Do ego alii vinum penumque omnem caeterum. Novius (in) Dotata: Alium praeberem penum. Atta:

— Meum ín penúm componam; sátius est.“

Dogali natum est omissis litteris elidendis in verbo ego. Quin vinum recte scribatur, haud facile quisquam dubitabit. Post caeterum interpungendum est propterea, quod, si istud ad sequentia traheretur, Pomponii locus probare non posset, penus masculini esse generis. Sequentia sic depravata esse arbitror. Librarius per imprudentiam omiserat Novius Dotata. Scriptis autem verbis Alium praeberem penum, illud animadvertit ac post haec, quod omiserat, posuit, idem esse existimans: „Novius Dotata: Alium praeberem penum,“ atque: „Alium praeberem penum Novius Dotata.“ Postea autem Dotata cum sequente Atta vel acta in Dotacta, Dofacta coaluit.

L. AFRANII.

L. Afranius poëtae nomen fuit testante Cicerone Brut. XLV. Apud Nonium p. 33 ed. Merc. legitur: „Serium, triste et quasi sine risu. M. Afranius Privigno;“ et p. 409: „Triste, severum. C. Afranius Privigno.“ Sic ed. Merc. In antiquioribus edd. aut totus posterior locus non reperitur, aut certe littera, praenomen significans. Manifesto isti Marcelli loci, quoniam nec inter se consentiunt et alias Nonius semper praenomen omittit, parum impediunt, quo minus M. Tullii testimonio credamus. Duos autem fuisse Afranios, fabularum scriptores, alterum illum togatarum poëtam, alterum, quem commemorat Cicero, id quod olim nonnulli opinabantur (vid. Gyraldus de Poëtar. hist. VIII., Opp. T. II. p. 422), quum in tanta de Afranio poëta testimoniorum multitudine, quod illi statuunt, discrimen adeo negligatur, ut, si Ciceronis locum et dubios Nonii Marcelli exceperis, ne praenomen quidem vel cognomen addatur, sed ubique tamquam de uno eodemque sermo sit, ista opinatione nihil potest esse improbabilius.

Quando natus sit Afranius poëta, veteres nobis non tradiderunt, nec, quando vita decesserit. Exstant tamen aliquot loci, ad aetatem eius indagandam haud inutiles. Velleius Paterculus I. 17. 1: „Nisi aspera et rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum Romana tragoedia est; dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afra-

nium suppari aetate nituerunt;“ et II. 9. 3: „Clara etiam per idem aevi spatium (quo fuerunt Scipio Aemilianus, Laelius, M. Antonius, L. Crassus aliique oratores excellentes) fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Attii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti.“ Tertius locus est Cic. Brut. XLV.: „Eiusdem fere temporis (quo floruerunt M. Antonius et L. Crassus oratores) fuit eques Romanus C. Titius (orator et poëta tragicus) —. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.“ Ex quibus colligi potest, Afranium natum esse circiter centesimum tricesimum annum ante Christum. C. Titius enim, ut ex Ciceronis verbis apparet, eodem fere tempore natus erat, quo M. Antonius et L. Crassus. Atqui M. Antonius App. Claudio Pulchro, Q. Metello Macedonico coss. anno U. C. DCXI. sive ante Chr. CXLIII. genitus est; L. Crassus triennio post illum Q. Servilio Caepione, C. Laelio Sapiente coss. Vid. Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. LXII. Multo igitur ante illum annum, quem indicavimus, Afranium natum esse sumere non licet, quoniam C. Titium imitatus est, et multo minorem, quam C. Titium, eum fuisse statui vetant et Velleii Paterculi verba laudata et ipsius M. Tullii locus. Neque magnopere errabimus, si eum omnino Attae poëtae aequalem fuisse dicemus. Ferri igitur etiam potest, quod Bothius scribit, floruisse Afranium circa annum U. C. DCLX. sive ante Chr. n. XCIV.

Ut de aetate poëtae certa testimonia desiderantur, ita etiam de loco, quo natus sit, quo vixerit, quo mortuus sit. Maximam quidem vitae partem eum Romae degisse pro certo haberi

potest propterea, quod urbs quasi centrum erat, quo non solum ex tota Italia, sed etiam ex provinciis remotioribus omnia ingenia clariora convenire solerent. Atque ex alto veterum scriptorum silentio de loco, ubi procreatus sit et ubi vita excesserit, colligere posse mihi videor, eum natum quoque ac mortuum esse in ipsa urbe. Nam ut diligenter annotarunt, Livium Andronicum Tarento, Cn. Naevium ex Campania, Q. Ennium Rudiis, M. Pacuvium Sarsina, Caecilium Statium ex Gallia Transpadana, L. Pomponium Bononia, alios aliunde Romam venisse: ita de iis, qui in ipsa urbe nati essent vitamque transegissent, quum omnibus compertam arbitrarentur, facile rem praeterire potuerunt. De parentibus Afranii, de educatione eius ac tota vivendi ratione nihil traditum est. Plura de indole atque ingenio eius poëtico dicere poterimus. Antea vero monendum est, alium quoque a scriptoribus commemorari L. Afranium, Auli filium (Cic. ad Att. I. 18, 19, 20), quem Cicero Epist. ad fam. XVI. 12 et Julius Caesar de Bell. civ. I. 38 Pompeii legatum in Hispania fuisse narrant. Idem anno U. C. DCXCIV. cum Q. Caecilio Metello Celere consul fuit. Cf. Glandorpii Onomast. v. Afranii.

L. Afranium poëtam fabulas togatas scripsisse, res est notissima, easque fuisse tabernarias, non minus earum reliquiae docent, quam Diomedis locus III. p. 488 ap. Putsch.: „Togatas tabernarias in scaenam ductaverunt praecipue duo, Afranius et Quinctius.“ Quod scholiasta Cruquianus, ut supra vidimus, Afranium etiam praetextatas composuisse scribit, id procul dubio, quum nec alius quisquam scriptor eius rei mentionem faciat, neque ipsa fragmenta opinionem

istam probent, errore factum est. Antonii Delrii error Syntagm. trag. Rom. p. 27, in tragicis Afranium recensentis, iam pridem notatus est. Vidd. Ger. Jo. Vossius de Poët. Lat. p. 13; Bothius Tragicc. Lat. fragmm. p. 254. Neque cum iis consentio, qui, ut Cruquius ad Hor. Epist. II. 1. 57, Ger. Jo. Vossius de Poët. Lat. p. 12, Bothius l. c., Schoberus de Atellanis p. 38, Munkius de Pomp. Bon. p. 57, hunc poëtam etiam fabulas Atellanas scripsisse perhibent. Composuisse dicitur Afranius Bucconem adoptatum, quo nomine etiam Pomponius Bononiensis, Atellanarum scriptor, fabulam fecit. Pomponii Bucco adoptatus saepius laudatur; Afranii tantum in hoc Nonii loco p. 126 ed. Merc.: „Jentare. Afranius Buccone adoptato: Jentare nulla invitat. Plautus Curculione: Quid antepones Veneri ientaculi? Afranius Crimine: Haec ieiuna ientavit.“ Quin Pomponii Bucco adoptatus, etsi ille praeter Atellanas etiam alias fabulas composuit, Atellana fuerit, non dubito. At nihilo minus, opinor, si Afranius re vera Bucconem adoptatum scripsisset, statuendum esset, hanc fabulam togatam fuisse, ad cuius imitationem Pomponius, urbanas personas cum rusticis permutans, Atellanam suam composuisset. Neque enim, si titulum istum exceperis, ullus exstat locus, qui confirmet opinionem, Afranium Atellanas scripsisse; licet clarissimus hic poëta sexcenties laudetur. Certius autem Afranio fabulam illam prorsus abiudicabimus, pro Jentare. Afranius restituentes apud Nonium Jentare. Pomponius; quum praesertim, si verba Jentare nulla invitat ex Afranii fabula sumpta essent, suspicari liceat, Nonium scripturum fuisse: „Afranius in Buccone adopta-

to: Jentare nulla invitat. Idem in Crimine: Haec ieiuna ientavit. Plautus" etc. Quamquam iste non semper hac in re sibi constat. Quam negligentes omnino librarii fuerint in nominibus scribendis, quoties integrae lineae exciderint, ut alii alius verba tribuerentur, nemo, in grammaticis Latinis, praesertim Nonio, versatus, nescit. Aperte autem errat Eberhardtius in libello de artium humanitatis statu ap. Rom., quem Kordesius Germanice interpretatus est, p. 54, quum id, quod ad L. Pomponium Bononiensem pertinet, de L. Afranio profert, eum Atellanas correxisse et ad artis regulas instituisse. Neque Graeci argumenti comoedias sive palliatas Afranium scripsisse verisimile est; licet Thais eius commemoretur et Pantaleus, unde, quum hoc nomen inauditum sit, viri docti fecerunt Pantaleon. Thais, quoniam Romae quoque meretrices Graecae erant, etiam togatae titulus esse potuit. Pantaleon autem fabula Afranio vindicari nequit vel ideo, quod hoc nomen palliatam arguit, neque aliunde constat, illum eiusmodi fabulas docuisse. Plura de titulo illo suo loco dicentur. Ac iam nullas fecisse fabulas Afranium praeter togatas tabernarias affirmare non dubitamus.

In his autem scribendis maxime excelluisse poëtam, veteres, qui eius fecerunt mentionem, testantur uno ore omnes. A M. Tullio eum dici hominem in fabulis disertum, a Velleio Paterculo clarum ingenium, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evectum, dulcesque Latini leporis facetias ei tribui, a Diomede grammatico praecipue eum cum Quinctio togatas tabernarias in scaenam ductavisse tradi, ante vidimus. Apud Horatium Afranii toga convenisse dicitur Menandro. Quae quidem sententia, quantum ex verbis

eius iudicari potest, licet non ipsius Horatii sit, quippe qui semper severum se praebeat veterum poëtarum iudicem, tamen vulgarem eam fuisse ex iisdem verbis apparet. Quin etiam Horatius ipse eo, quod Afranium uno ordine ponit cum Naevio, Pacuvio, Attio, Plauto, Caecilio, Terentio, clarissimis fabularum scriptoribus, non minimo eum honore dignatur. Praeterea ex Flacci versibus patet, etiam Augustea aetate Afranii togatas studiose lectas saepissimeque actas esse, et maximum eas in theatro plausum reportavisse. Sed en ipsius poëtae Venusini iudicium Epist. I. 1. 53 sqq.:

„Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens; adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quoties, uter utro sit prior: aufert
Pacuvius docti famam senis, Attius alti.
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
Interdum vulgus rectum videt; est, ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove iudicat aequo.“

Serioribus quoque temporibus Afranii togatas in scaenam inductas, esse testis est Suetonius Tranquillus Neron. XI. Appuleius Apolog. 420 Afranium scriptorem elegantem appellat; magnum co-

micum Euanthius in commentatione de Fabula, illud tamen imprimis in eo reprehendens, quod interdum in tragoediam transiluerit. Apud Quinctilianum de eo haec legimus Institutt. orat. X. 1. 100: „Togatis excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus.“ A quo non discrepat Ausonius Epigramm. LXXI.:

„Praeter legitimi genitalia foedera coetus
Reperit obscenas Veneres vitiosa libido,
Herculis heredi quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi scaenis agitavit Afrani.“

Quibus ex testimoniis satis elucet, quamvis mores eius, quos in fabulis quoque proderet, vituperandi essent, magnum poëtae apud antiquos fuisse nomen; quae res etiam eo confirmatur, quod nemo veterum comicorum, exceptis Plauto Terentioque, quoties ille, a grammaticis laudatur. Quapropter Janus Rutgersius Variar. lect. IV. 19, Ger. Jo. Vossius de Poët. Lat. p. 13 et Institutt. poët. II. 23. 8 aliique Volcatii Sedigiti iudicium apud Gellium XV. 24, quod de decem comicis tulit, in quibus Afranius ne nominatur quidem, putidum atque insulsum dixerunt. At merito Bothius monet, a Volcatio tales tantum recenseri comicos, qui proprias comoedias, id est, Graeci argumenti, composuerint. Nam comoediae palliatae, ut suo loco a nobis expositum est, fere simpliciter comoediae dicebantur, comoediae togatae contra togatae. Neque igitur etiam Schoellio Histoire abrégée de la litt. Rom. T. I. p. 139 in enumerandis decem illis comicis nono loco pro Luscius scribendum erat Lucius Afranius.

Quemadmodum omnino poëtae Romani Graecos imitari solebant, sic etiam Afranius, quamvis Romanorum mores in scaena repraesentaret, Grae-

cos scriptores sibi imitandos sumpsit. Iam vidimus, vulgo Afranii togam Menandro convenisse dictam esse; quod nihil aliud significat, quam ad Menandri exemplum eum scripsisse ac prope ad eius praestantiam accessisse. Praecipue vero docet, qua ratione Romanus Graecum comicum imitatus sit, Ciceronis locus de Finib. I. 3: „Si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit; ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.“ Verum etiam alios eum imitatum esse, discitur ex ipsius verbis, quae non inverecunde, ut ait Macrobius Saturn. VI. 1, respondit arguentibus, quod plura a Menandro sumpsisset:

„— Fateor, sumpsi non ab solo illo modo,
Sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
Quodque me non posse melius facere credidi;
Etiam a Latino.“

Fugerunt igitur haec testimonia Wielandium ad Horat. Epist. II. 1. 57, quum, impulsus Ciceronis loco Brut. XLV., ubi Afranius C. Titium, cuius, licet Graecarum litterarum ignari, orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habuisse dicuntur, ut paene Attico stilo scriptae viderentur, imitatus esse traditur, — quum, inquam, hoc loco motus scribit, Afranium Graecae linguae imperitum fuisse, nec propterea cum Menandro a criticis comparari, quod eum imitatus sit, sed quod natura eum huic similem fuisse putent, fabulasque eius inter caeteras Romanas

non minus, quam Menandreas inter Graecas, elegantia ac festivitate excelluisse. Quamquam autem Afranium maxime eam ob rem cum Menandro comparatum esse puto, quod ad huius exemplum scriberet, id est, singulos locos, non arte cum Graecis personis cohaerentes, ex illius fabulis in suas apte transferret, atque omnino in componendis suis fabulis Menandrearum rationem sequeretur, sive, ut ait Gesnerus ad Horat. l. c., Graecas Menandri fabulas commode Latina veste indueret, tamen minime nego, etiam indolis ingeniique affinitate quadam eum Menandri fuisse similem, id quod Meinekius quoque statuit Praefat. ad Menandri et Philemonis reliquias p. XXXV. Hodie quidem nihil iam exstat apud Menandrum, cui ex Afranii fragmentis aliquid prorsus respondeat. Sed quas fabulas tum huius tum aliorum palliatarum scriptorum clarissimus togatarum poëta in faciendis suis respexisse videri possit, in tractandis reliquiis indicabimus.

Ex Romanis scriptoribus Afranium studiose imitatum esse C. Titium, ex Cicerone didicimus. Idem ille Ciceronis locus adduxit Kordesium ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 68, ut etiam in fragmento, quod modo ex Macrobio attulimus, verbo Latino C. Titium significari putaret; nec nego, probabile esse, Afranium, quum illa scriberet, de C. Titio cogitasse. Est tamen locus ita comparatus, ut non opus sit unum tantum scriptorem Latinum intelligere; et est, quod me moveat, ut Terentium quoque imprimis respexisse arbitrer togatarum scriptorem. Pervenerunt enim ad nos ipsius verba:

„Terentio non similem dices quempiam."

Quid igitur probabilius est, quam eum huic, quem omnibus anteponeret, tantum quoque tribuisse, ut

eum prae caeteris imitaretur. Minus tamen hanc Titii Terentiique imitationem ad fabularum argumenta, quam ad Latinitatem, pertinuisse arbitror, quia uterque egregie Latine scripsit, ac praeterea C. Titius poëta tragicus erat. Nam togatas, id est, togatas praetextatas C. Titium, quum Graecis litteris careret, scripsisse, festinantius Wetzelium collegisse recte monet Ellendtius ad Cic. Brut. XLV. Potuit enim, ut idem Ellendtius monet, de Ennii, Pacuvii, Attii fabulis aliquas desumptas suo modo informare atque ornare. Gravissime autem Wetzelii sententiae id repugnat, quod fabulae praetextatae, nisi apud seriores quosdam, tragoediae non dicuntur. Quin etiamsi vere C. Titius praetextatas scripsisset, tamen inter has quoque et togatas tabernarias, quales Afranius fecit, tanta intercedebat dissimilitudo, ut ne ex his quidem facile togatarum, proprie dictarum, argumenta peti possent. Porro in Afranii fragmentis, quamvis non paucis, prorsus nihil est, quod eum a Terentio sumpsisse certo affirmare possis, oratio autem illius huius orationi profecto non est dissimilis. Etiam metra Afranii, quantum ex reliquiis iudicare licet, Terentianis similia fuerunt, nisi quod nonnulla versuum genera usurpasse videtur, quibus Terentius usus non est, et quod eum, ut Naevium et Plautum, clausulis, quarum etiam in fragmentis poëtae adhuc exstant exempla aliquot, licentius usum esse Marius Victorinus Art. gramm. II. p. 2524 ap. Putsch. et Rufinus Commentar. in metra Terent. p. 2708 ap. Putsch. testantur.

Ingenium Afranii foecundissimum erat. Supersunt enim adhuc plus quadraginta fabularum eius tituli; et quis neget, quin nonnulli temporum lapsu interciderint?

Iam igitur ex omnibus fere, quae de Afranio disputavimus, apparet, quod Menander fuerit Graecis, idem illum, huius discipulum, fuisse Romanis. Menander omnium maxime excelluit in Graecorum moribus describendis, Afranius in Romanorum. Ille in Attico sermone elegantiam consecutus est, hic in Latino. Menander, id quod et ipsum memorabile est, Graecum tragicum poëtam, Euripidem, imitatus est, Afranius Romanum, C. Titium. Utriusque ingenium erat foecundissimum. Quanto autem omnino, quod ad litteras attinet, Romani Graecis postponendi sunt, tanto etiam Afranium Menandro cessisse arbitror. Quamquam nescio, an plus etiam detrimenti ceperint Romanae litterae ex deperdito Afranio, quam Graecae ex Menandro, cuius omninoque novae comoediae poëtarum rationem, qua usi sint in tractandis argumentis, ex Plauto Terentioque quodammodo cognoscimus. Tum si ipsam linguam spectes, profecto nonnulla verba, nonnullas dicendi formulas, nisi ex comicis, haud facile disces. Atqui exstant adhuc Aristophanis fabularum plures, referti sunt et huius et aliorum comicorum locis Athenaeus, Stobaeus, alii; togatarum scriptorum, ut qui soli, quum, qui Graeca tractarent argumenta, Graecis quoque moribus linguam accommodarent, raro tantum patria instituta attingentes, ex ipsius populi Romani mente personas, quas inducerent, loquentes fecerint, exceptis paucis fragmentis unaque fabula, eaque serioribus temporibus confecta et ne integra quidem, nulla monumenta nostram aetatem tulerunt.

ABDUCTA.

I.

Nonius p. 257 ed. Merc.: „Callet significat scit, hoc est, calliditate, quae est urbana scientia. — Afranius in Abducta:

Nescís Numeri: mei omném melius callént rem,
quam volo.“ —

Numeri Merc. in annott. Bothius. Ven. I. II. Par. Merc. e codd. numeri. Ald. Bas. Steph. num, Heri. Jun. nam, omisso etiam mei. — callent rem. Ven. I. II. callerem. Par. callere. — Numerus videtur anapaesticus. Cf. Auguris fragm. IV. et Idae fragm. Bothius, ut versus troch. tetr. cat. exsisteret, scribendum putavit: N., N.: rem mei omnem melius callent, q. v.

II.

Nonius p. 374 ed. Merc.: „Pariter, ex aequo. — Afranius in Abducta:

Dispartiantur patris bona pariter.“

Ven. I. II. Par., omissis verbis Afranius in Abducta et pariter: dispertiantur bona patris. — Quale fuerit metrum, non liquet. Quadrant vérba in Creticum, in Bacchiacum, in iambicum. Bothius versum ita restitui posse putat:

Dispartiantur pariliter patris bona.

Sed Nonius quidem pariter legit.

III.

Festus v. Sentes, Fragm. p. 68 ed. Dacer.: „Sentes quum constet esse spinas et Afranius in Abducta dixerit:

Quam senticosa verba pertorquet turba,

pro spinosis accipi debet.“ Vocabulum turba, quod senario refragatur, mutandum duxerunt: Fulv. Ursinus, probante Dacerio, in lupa; Gulielmius Verisimil. I. 9 in truo; Bothius in tuba, quemadmodum Ampius tuba belli civilis audit Cic. Epist. ad fam. VI. 12, vel tubâ, sonitu sive strepitu, sicut tuba nimborum legitur ap. Claudianum Gigantom. 60. Vix videtur mihi vocabulum illud ex depravatione fluxisse. Versus est, qualis legitur, iamb. trim. claudus; et reperiuntur in Afranii reliquiis etiam duo alii huiusmodi versus, quos, ut hunc, Bothius tentavit. Vidd. Incendii fragm. I. et Ominis II. Statuendum arbitror, aut vere Afranium interdum versibus Hippo-

nacteis usum esse, aut verba tracta esse ex binis versibus iamb. tetram. catalecticis. — Verba senticosa sive spinosa sunt nimis subtilia et arguta. Cic. Tusc. I. 8: „Haec enim spinosiora prius, ut confitear, me cogunt, quam ut assentiar.“ Caeterum Bothius ad h. l.: „Senticosa (ut senticosa sint, seu fiant,) ab effectu, quam figuram fuse illustrat doctissimus Lud. Hellerus in programmate Academ., quod edidit a. 1820, in quo programmate insunt Observationes in Sophoclis Oedipum Col.“

Simile argumentum, ut ex inscriptione coniicere licet, habuit fortasse haec fabula, ac Philemonis Ἁρπαζομένη, unde cognominem suam comoediam expressisse arbitror Caecilium. Philemo autem respexerit Antiphanis fabulam eiusdem nominis.

AEQUALES.

I.

Nonius p. 81 ed. Merc.: „Comest pro comedit. — Afranius in Aequalibus:

Iste, ut tu rem narras, dona comest hic quotidie.“

Aequalibus. Steph., unde latius se propagavit error, velut ap. Funccium de Adolesc. Lat. ling. p. 97, Aqualibus. — narras. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. narres. — dona. Merc. in annott. bona. Jun. non habet vocabulum. — comest. Cod. Guelph. comes. — Bothius versum trochaicum restituat scribendo: Istic hic, ut tu r. n., bona com. cot. Facilius restitui posse videtur iamb. trim.:

Iste, úti rem narras, bóna comest quotídie hic.

II.

Charisius II. p. 214 ap. Putsch., de interiectionibus agens: „Spataro Afranius in Aequalibus, quam vocem, frequenter apud eum positam, ait Paullus ἐξουθενισμοῦ vim sensumque sufferre.“

Aequales videntur duo iuvenes fuisse, quorum alter apud alterum parasiti partes ageret; ut ad illum pertineant, quae priore loco posita sunt. Usus sit autem poëta in scribenda

fabula imprimis Menandri Συνεφήβοις, ex qua cognominis Caecilii fluxit comoedia, simul fortasse alias respiciens. Exstabant enim Euphronis quoque Συνέφηβοι; Συνέφηβος Philemonis; Ἔφηβοι Ephippi, mediae comoediae poëtae, item Apollodori; Σύντροφοι Alexidis, Diphili, Damoxeni, Posidippi; aliae aliorum; quibus, quantum ex inscriptionibus iudicare licet, facile hic uti potuit Afranius.

A N D R I A.

Meinekius ad Menandri reliquias p. 19 annotavit, Afranii Andria, a Cicerone de Finib. I. 2 et Brut. XLV. aliisque commemorata, num cognatum Menandreae argumentum tractaverit, in tanta fragmentorum paucitate diiudicari non posse. At priore Ciceronis loco commemorato Terentii, non Afranii Andriae fit mentio, et posteriore de Afranio quidem ipso sermo est, sed minime de Andria eius. Neque a Nonio, qui ad Menandri reliquias, cum Hugonis Grotii et Jo. Clerici annotatis anno MDCCIX. Amstelodami editas, p. 14 perhibetur Afranii Andriam commemorare, neque ab ullo alio scriptore antiquo huic poëtae eiusmodi fabulam tributam reperio. Scripsit autem Caecilius Andriam, quam ad Menandreae imitationem compositam fuisse facile colligas vel ex paucis verbis, quae Nonius p. 152 ed. Merc. inde affert: „Conducit navem putidam.“

A Q U A L E S vel A Q U A L I A.

Vidd. annotata ad Aequalium fragm. I.

A U C T I O.

I.

Nonius p. 76 ed. Merc.: „Absente nobis et praesente nobis pro praesentibus nobis et absentibus nobis. — Afranius in Auctione:

— Adeste, si hác absente nóbis venierít puer.“

Auctione. Ven. I. II. Par. actione. — Adeste Jo. Valent. Franckio debemus. Vulgo Adest. Steph. cum Bas. omittit vocabulum. Jun. Ades. Both. Adde, putans, st natum esse ex si sequente. — si hac. Ven. I. II. si hanc. Par. si hunc. Merc. Both. si hic. Hac saepissime coniungitur cum

verbo ire. Atqui venierit est venum iverit. — venierit. Cod. Guelph. invenierit. Ven. I. II. Par. invenerit. Steph. Jun. venerit. — Absente et praesente annumerari possunt praepositionibus. Cf. exempla ap. Nonium v. Praesente p. 153.

II.

Nonius p. 104 ed. Merc.: „Extrabunt pro exibunt. Afranius in Auctione:

Simul límen intrabo, ílli extrabunt íllico."

Auctione. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. actione. — intrabo, illi extrabunt. Perperam Merc. extrabo, illi intrabunt, quam scripturam ipsius Nonii verbis refelli monet Bothius.

III.

Nonius p. 111 ed. Merc.: „Facul pro faciliter. Huic contrarium est difficul. — Afranius in Auctione:

Haúd facul, ut aḯt Pacuvius, fémina invenietúr bona."

Auctione. Cod. Guelph. Ven. I. II. actione. Par. ictione.— Haud. Cod. Guelph. Ven. I. II. Ald. Aut. — facul, ut aït. Ven. I. II. facul: aut ait. Par. ut ait, omisso facul. — invenietur. Ven. I. II. Par. invenitur. Bothius, quod durissime pronuntietur fem'n' invenietur propter duplicem in eodem vocabulo elisionem, coniecit foeminam invenies bonam vel, quod malit, foemina videtur bona. Vide tamen Attii Brut. III. 8, ibique annotata.; et Titinii Setinae I. 1.

De argumento fabulae vidd. annotata ad Titulum, quae cum Auctione una eademque videtur fuisse.

A U G U R.

I.

Nonius p. 78 ed. Merc.: „Blaterare, confingere per mendacia. Afranius in Augure:

Quid ést istucce, té blaterare atque óbloqui?"

istucce. Vulgo istuc, quod versui non sufficit. Correxit Bothius.

II.

Nonius p. 152 ed. Merc.: „Putidum, putre. — Afranius in Auguribus:

— Et falláci adspectu páries pictus, pútidus.“

Auguribus. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. augurius.

III.

Nonius p. 393 ed. Merc.: „Statim producta prima syllaba a stando perseveranter et aequaliter significat. — Afranius in Augure:

Quamquám non istis éxercetur ín locis
Hic nóster, delabórat quum statím puer.“

exercetur. Jun. exercere. — statim puer. Vulgo puer statim, quae transposui cum Bothio, recte monente, secundum Nonium hic priorem vocabuli statim syllabam longam esse. — In edd. Ven. et Par. desiderantur verba Afranius — statim puer. — Istis exercetur in locis, id est, ut videtur, in istis rebus se exercet.

IV.

Nonius p. 512 ed. Merc.: „Firmiter pro firme. — Afranius in Augure:

Hoc heret, ut aut clamor oritur, sed spiritum firmiter instat.“

Sic Merc. In ed. Jun. legitur: Augur. Hic haeret ut clamor, sed spiritu f. i. Antiquiores omittunt Afranius etc. Bothius se haec prorsus non intelligere fatetur. Versum quidem ista prodere videntur anapaesticum tetr. cat., qui fortasse sic est scribendus:

Hic haéret, utut clamór oritur; sed spíritu' firmiter ínstat.

Cf. Idae fragm. Quod ad sententiam attinet, pavidus nescio quis describi videtur, quem animus ad aliquid faciendum instigat.

V.

Probus ad Virg. Eclog. VI. 31: „Plane trinam esse mundi originem et Lucretius confitetur. — Afranius etiam in Augure:

— Modo
Posteáquam arripuit rábies hunc nostrum aúgurem,
Mare, coélum, terram rúere ac tremere díceres."

arripuit rabies. Editur arripui trabes, quod nec sententiae nec metro aptum est.

Augur haec fabula paene ubique dicitur, semel Augures; et veram esse illam inscriptionem, apparet ex fragm. V. Sequi autem potuit in ea scribenda Afranius Menandri *Δεισιδαίμονα*, quae fabula tota expressa erat ex Antiphanis *Οἰωνιστῇ*. Afranii vero Augurem contra respexerunt fortasse Pomponius et Laberius, quum cognomines fabulas suas componerent. Quaeritur autem, quomodo augur, qui potius praetextatae persona habendus est, repraesentari potuerit in togata tabernaria. Tabernariam enim Afranii Augurem fuisse, ut caeteras eius fabulas omnes, ex fragmentis liquet. Non igitur proprie hic, sicut etiam in Pomponii et Laberii fabulis, istud nomen usurpatum esse arbitror, quum alii quoque, qui ad augurum collegium non pertinerent, futura tamen praedicerent, augures appellati sint. Vidd. Cicero de Divin. I. 40, Epist. ad fam. VI. 6; Ovidius Nuc. 79.

BRUNDUSINA.

I.

Nonius p. 97 ed. Merc.: „Degulasse est gulae dedisse. Afranius in Brundisinis:

'Immo iamdudum óccubuisse, dégulasse opórtuit."

Brundisinis. Ven. I. II. Par. Bruto. Ald. Brundisini. Bas. Brundusinis. — Afranius in Brundusinis: Degulasse oportuit legitur etiam apud Charisium I. p. 80 ed. Putsch. — Bothius: „Occubuisse valet accubuisse." Videtur hic verborum lusus esse, quum scripsit poëta occubuisse pro accubuisse et degulasse, quod simile est verbo decollasse, pro devorasse.

II.

Nonius p. 123 ed. Merc.: „Implicare positum pro ornare. Afranius in Brundusio:

Parte ínferiore hic ímplicabatúr caput."

Brundusio. Jun. Brundisin. Merc. Brundisio. — Parte. Libri In parte. Non dubitavi praepositionem omittere, quum ea addita versus modum excedat. Ortum videtur illud in ex antecedente Brundusin. Bothius contra vocabulum hic uncinis inclusit; quod quomodo a librariis addi potuerit, non video. Lipsius Epistolic. quaest. V. 25 pro hic coniecit huic. Idem scripsit fasceo pro fateor, quod olim post caput legebatur. At Mercerius in annotatis docet, verbum istud ex Attii loco sublatum adhaesisse Afranio. Cf. Attii Aeneadarum sive Decii fragm. VI.

III.

Festus v. Sagaces, Fragm. p. 61 ed. Dacer.: „Sagaces appellantur multi ac sollertis acuminis. Afranius in Brundisina:

Quis tám sagaci córde atque ingenio único?"

IV.

Priscianus X. 2. 7. p. 879 ap. Putsch.: „Sapio tam sapivi vel sapii quam sapui protulisse auctores inveniuntur. — Afranius in Brundusinis:

'Equidem nunc resípui, postquam péctus est laetítia onustum."

laetitia onustum. Steph. laetitiae honustum.

Laudantur haec fragmenta, si omiseris illud Bruto, quod in nonnullis Nonii editionibus reperitur, ex Brundusinis, Brundusina, Brundusio; ut viri docti dubii sint de vera fabulae inscriptione. Hanc me invenisse arbitror apud Donatum de Comoedia, ubi haec leguntur: „Omnium autem comoediarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, eventu: nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus; loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina; facto" et quae sequuntur. Caeterum habuit hic quoque Afranius praeter alios, quos sequi posset, Menandrum, qui *Ἀνδρίαν, Κνιδίαν, Ὀλυνθίαν,* alias scripserat.

BUCCO ADOPTATUS.

Nonius p. 126 ed. Merc.: „Jentare. Afranius in Buccone adoptato:

Jentare nulla invitat.“

Sed videantur, quae diximus de hac fabula supra p. 168 sq.

CAEDO, CAEDUM, CAEDUS, CEDUM, CEDUS.

Vidd. annott. ad Incendii fragm. IV.

CINERARIUS.

I.

Charisius II. p. 214 ap. Putsch., de interiectionibus exponens: „Cuccuru. Afranius in Cinerario:

— Id mé celabat cúccuru.

An nomen est, ut veru, genu?“ Cuccuru — cuccuru. Bas. Cuccurru — cucurru. Putsch., unde hausit Bothius, Cucurru — cucurru. Metro quidem aptius videtur apud Afranium cuccuru, quod e Stephano sumpsi.

II.

Priscianus VIII. 7. 37. p. 804 ap. Putsch.: „Gratulor, gaudeo pariter cum alio et gratias ago. Afranius in Cinerario:

Sexte, ó frater mi, sálve! quum salvús venis
Meliúsque est, gratulór dis.“ —

Sexte, o frater mi Jo. Valent. Franckio debemus. Libri Sexte frater mi. Both. Frater mi, Sexte. — Meliusque est. Vulgo meliusque tibi est. At plerique codd. Krehl. et edd. Ven. tibi omittunt. Quare id pronomen interpretis putandum videtur. Nec iam opus est cum Bothio contra librorum auctoritatem scribere dis gratulor. — Apud Nonium p. 116 ed. Merc. haec leguntur: „Gratulari, gratias agere. — Afranius in Cinerario: Quod salvus venis, melius est, gratulor diis.“ Sic etiam Salmasius ad Tertull. de Pall. p. 385 et J. F. Gronovius Observatt. II. 19. p. 384 Afranii verba laudant. Sed vehementer friget: Quod salvus venis, frater, melius est.

Utrum Cinerarius, an Cinerarium, quum fabula, nisi sexto casu, non commemoretur, neque ex reliquiis quidquam appareat, verus fuerit titulus, manifestum quidem non est. Videtur tamen et per se aptius inscribi fabula Cinerarius, et composuerant Alexis *Πύραυνον* et Menander *Κεκρύφαλον*, unde, ut videtur, facile nasci potuit is titulus, quem alteri praeferendum arbitror.

COMPITALIA.

I.

Nonius p. 39 ed. Merc.: „Pilare dictum est, ut plumare, pilis vestiri. Afranius in Compitalibus:

Praetérea corpus núnc meum piláre primum coépit.“

corpus nunc meum. Vulgo, metro adversante, corpus meum nunc. Merc. Both. nunc corpus meum, quod propter acutam vocabuli corpus syllabam posteriorem minus probandum videtur. — Fortasse hic locus unus fuit eorum, quibus Afranius Quinctiliano et Ausonio testibus argumenta inquinaverat.

II.

Nonius p. 496 ed. Merc.: „Veteribus genitivum pro accusativo poni placet. Afranius in Compitalibus:

Si nón vereare, némo vereatúr tui.“

vereare. Ven. I. II. Par. vereor. Vulgo verear. Correxit Mercerius.

III.

Suetonius, quem exscripsit Donatus, in Terentii vita: „Hunc (Terentium) Afranius quidem omnibus comicis praefert, scribens in Compitalibus:

Teréntio non símilem dices quémpiam.“

IV.

Macrobius Saturn. VI. 1: „Possem pluribus edocere, quantum se mutuo compilarint bibliothecae veteris auctores. — Unum nunc exemplum proferam, quod ad probanda, quae assero, paene sufficiet. Afranius enim, togatarum scriptor, in ea togata, quae Compitalia inscribitur, non inverecunde respondens arguentibus, quod plura sumpsisset a Menandro:

— Fáteor, inquit, sumpsi nón ab illo soló modo,
Sed út quisque habuit, cónveniret quód mihi,
Quodque mé non posse mélius facere crédidi;
Etiam á Latino." —

illo solo. Both. solo illo. Cf. Auctionis fragm. III. et quos locos ibi laudamus. — conveniret quod. Libri metro invito quod conveniret. Correxit Bothius, simul absque necessitate Quod scribens pro eo, quod est in libris, Quodque. — Ut primus versus integer sit, fortasse addendum Ego vel scribendum sumpsisse. Munkius de Pomp. Bon. p. 38 restituit scribendo:
Sumsi, fateor, ab illo non solo modo.

V.

Priscianus V. 8. 45. p. 659 ap. Putsch.: „Hic et hoc sal. Afranius in Compitalibus:

— Ut, quídquid loquitur, sál merum est."

Fragm. III., ut IV., ex prologo sumptum esse apparet. Nec minus inde sublatum esse V., sive ad Menandrum sive ad Terentium referatur, probabiliter putavit Jo. Valent. Franckius. Omnino Afranius in hoc prologo, ut imitationem suam aliorum excusaret, usus esse videtur Terentio auctore, qui, quamvis et ipse alios imitatus sit, tamen summus exstiterit. Quod autem ad fabulae argumentum attinet, pari probabilitate coniecit Franckius, *Χαλκεῖα* Menandri exemplo fuisse togatarum poëtae, fortasse simul respicienti *Ἐναγίζοντας* Diphili, ita ut Vulcanalium loco Compitalia ponerentur, atque ex Afranii fabula deinde Laberium cognomini mimo argumentum petivisse. Nec prorsus dissimiles inter se moventur cogitationes illo Afranii Praeterea corpus etc. et iis, quae ex Menandrea fabula attulit Stobaeus Eclog. Tit. 116. 9 ed. Gaisf.:

„Οὐκ ἂν γένοιτ᾽ ἐρῶντος ἀθλιώτερον
Οὐδὲν γέροντος, πλὴν ἕτερος γέρων ἐρῶν·
Ὃς γὰρ ἀπολαύειν βούλεθ᾽, ὧν ἀπολείπεται
Διὰ τὸν χρόνον, πῶς οὗτος οὐκ ἔστ᾽ ἄθλιος;"

Potuit autem fieri, ut Afranius nonnulla etiam sumeret ex *Πανηγυρισταῖς* Platonis et Diodori Sinopensis, sicut ex *Πανηγύρει* Philemonis. Caeterum veri non est dissimile, quod pronuntiat Kordesius ad Eberhardtii libellum de artium humanitatis statu ap. Rom. p. 70, Compitalia et Mega-

lensia Afranii scriptas fuisse diebus festis. Idem igitur etiam de Attae Megalensibus statuere licebit, et fortasse de Aedilicia quoque eiusdem poëtae.

CONSOBRINI.

I.

Gellius XV. 13: „Utor et vereor et hortor et consolor communia verba sunt, ac dici utroque versus possunt: vereor te et vereor abs te, id est, tu me vereris. — Testor quoque et interpretor significatione reciproca dicuntur. Sunt autem verba haec omnia ex altera parte inusitata; et an dicta sint, in eam quoque partem quaeri solet. Afranius in Consobrinis:

Hem istó parentum est víta vilis líberis,
Ubi málunt metui, quám vereri se áb suis.

Hic vereri ex ea parte dictum est, quae est non usitatior.“ Hem isto. Sic codd. plerique et recentiores edd. Edd. vett. Hem iste; item Stephanus. Ed. Ald. Hem hisco. Edd. Gryph. marg. hisce, et al's hisco. Muretus Var. lect. VII. 4, Lipsius Var. lect. II. 28, probante Oiselio, Horumce. Gronovius, quum in cod. Regio exstet Hemusto, restitui voluit Hei tu isto, quam scripturam merito refutat Bothius. Isto interpretandum videtur cum Falstero ea propter vel propterea, ut Plaut. Rud. IV. 7. 8: „Isto tu pauper es, quum nimis sancte pius.“ — vita vilis. Sic, probantibus recentioribus, quod sciam, omnibus, Lipsius l. c., laudans Cic. in Cat. I. 8: „Quorum est tibi videlicet auctoritas cara, vita vilissima.“ Olim vulgo legebatur vitabilis, unde Muretus l. c. fecit vita bilis. Cod. Guelph. in talibus. — Ubi. Muret. Lips. Oisel. Qui. — ab suis. Edd. vett. Steph. Muret. Lips. Oisel. a suis. Junt. Ald. suis, omissa praepositione.

II.

Festus v. Temetum, Sched. p. 92 ed. Dacer.: „Temetum, vinum. — Afranius in Consobrinis:

Pol mágis istius témulentae fútilis.“

III.

Charisius II. p. 183 ap. Putsch.: „Lente. Afranius in Consobrinis:

Non sum ápud me? Hem, léntus lenté te rogábo.“

me non eliditur per interpunctionem. — Hem. Steph. en. — Lente. Libri lenteque, laborante et metro et sententia. Correxit Bothius, cui versus videtur asynartetus, ex duobus ithyphallicis constans. Cf. annott. ad Titinii Geminae fragm. IX. Idem explicat: „Reprehensus alter ab altero in eo, quod incommodice (incommode) rogando atque instando ita se gerat, quasi non sit apud se, haec respondet."

IV.

Charisius II. p. 184 ap. Putsch.: „Mordicus. Afranius in Consobrinis:

— Vaha, retinét homo linguam mórdicus."

V.

Charisius II. p. 189 ap. Putsch.: „Praefiscine. Afranius in Consobrinis:

Scis hábitum, ita ut nunc óbtinet, praefíscine.

Per e, non per i." Habitum substantivum, a nominativo habitus, non participium.

VI.

Nonius p. 557 ed. Merc.: „Consobrini, ex duabus editi sororibus. De quibus exempla multa sunt in antiquis auctoribus, et maxime in Afranio et iuris vetustissimis scriptoribus."

Verisimiliter hanc togatam expressisse Afranium ex Menandri Ἀνεψιοῖς dixerunt post alios Fabricius Bibl. Graec. T. II. p. 461 cur. Harles. et Meinekius ad Menandri reliquias p. 24.

CRIMEN.

I.

Nonius p. 124 ed. Merc.: „Insolum, insolitum. Afranius in Crimine:

— 'Orbitatem sénectuti tuaé malam
Metuí; quod in solúm non venit caéco ac dementí tibi.

Idem in Virgine: Ne veniret, quod nunc agitur, in solum." senectuti. Jun. marg. servituti. Pronuntian-

dum est hic vocabulum senĕctuti vel s'nectuti, ut alibi non semel; nisi forte recte transponitur a Bothio: tuae senectuti. — venit caeco. Par. venit idem caeco. — dementi tibi indagavit Bothius. Cod. Guelph. Merc. deme-tibi. Ald. deme tibi. Ven. I. II. demetri. Par. Bas. Steph. Jun. dementi. — Quod ad illud Insolum, insolitum attinet, Mercerius haec profert: „Vix fides adhibenda Nonio. quin potius in utroque exemplo insolum venire, non aliud est, quam apud Ciceronem et Varronem infra (p. 500), quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit, ponam.“ Ciceronis loci, a Mercerio significati, hi sunt: Epist. ad fam. IX. 26: „Convivio delector: ibi loquor, quod in solum, ut dicitur, et gemitum in risus maximos transfero;“ de Nat. Deor. I. 23: „Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia; hinc, quodcunque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis.“ Ut Mercerius, senserat Paullus Manutius ad Cic. Epist. ad fam. IX. 26, eademque opinio est aliorum. Jure, credo; quamvis Turnebus Advers. IX. 2 scribere non dubitaverit, apud Afranium veteres insolum insolitum interpretari, a quibus vix recedere liceat. Quaeritur, quid significet in solum venire. Manutius l. c.: „Hoc proverbium,“ inquit, „Quod in solum venit, vel, Quodcumque in solum venit, quidlibet significat, et quidquid occurrit, quidquid casus fert: non pro ratione, aut pro recta voluntate, sed temere, casu, fortuito.“ Nec multo aliter Turnebus l. c.: „Ut — ea demum nobis esse videntur, quae sensibus comprehendimus, velut quae vel tangimus vel cernimus: sic cum omnia prope ferat solum, id solum esse existimamus, quod in eo videmus, et omnia quae sunt in rerum natura, eo sustineri putamus. Proinde quod in solum, valet, quidquid est, quidquid accidit, quidquid sese offert, quidquid evenit.“ Quae cum Afranii locis parum consentire ipse animadvertit Turnebus, quum a Nonii testimonio discedere nollet. Manutius, cuius explicationem proverbii recentiores, quod sciam, omnes amplexi sunt, priorem Afranii locum interpretatur: „Quod temere non accidat homini caeco ac dementi;“ alterum: „Ne temere succederet id, quod nunc agitur.“ Mihi nec haec neque omnino, quae vel Manutius vel Turnebus protulerunt, satis apta videntur. Ortum esse arbitror proverbium inde, quod in animo cogitationes, ut in solo, id est, in terrae superficie, plantae enascuntur. Itaque in solum (quasi sc. cogitationis) venire idem fere esse puto, quod in mentem venire; et venit mihi aliquid in solum interpretor venit mihi alicuius rei in men-

tem, incido in aliquam rem vel in suspicionem alicuius rei, animadverto aliquid. Apud Afranium igitur quod in solum non venit caeco ac dementi tibi significare existimo quod caecus ac demens non animadvertisti, quod tibi caeco ac dementi non suboluit; et ne veniret, quod nunc agitur, in solum ne animadverteretur id, ne inciderent (incideret) in suspicionem eius, quod nunc agitur. Ad Varronis et M. Tullii locos interpretandos accommodata est loquendi formula in mentem venire vel occurrere.

II.

Nonius p. 126 ed. Merc.: „Jentare. Afranius in Crimine:

Haec ieiuna ientavit."

III.

Nonius p. 480 ed. Merc.: „Spolior pro spolio. Afranius in Crimine:

— Quos impúne depopulátur
Et díspoliatur dédecus." —

Sic libri. Bothius, monens, saepe lapsos esse in asyndeto librarios:

Quos impune depopulatur, despoliatur dedecus.

Fortasse recte. Quadrant tamen verba, servata coniunctione, non minus bene in versus iamb. tetr. cat., quam, ea expuncta, in troch. tetr. cat.

Quale fuerit crimen, unde fabula inscripta est, intelligi posse videtur ex fragm. III. Vocabulo dedecus peccantem significari puto. — A scriptoribus commemorantur *Διαμαρτάνων* Archedici et Diphili *Διαμαρτάνουσα*.

DEDITIO.

Charisius I. p. 81 ap. Putsch.: „Saga neutro genere dicitur; sed Afranius in Deditione masculine dixit:

— Quód quadrati súnt sagi."

DEPOSITUM.

Nonius p. 90 ed. Merc.: „Conciere, cum perturbatione commovere. Afranius in Deposito:

— Dí sunt iratí tibi,
Qui cónciere cógites tantúm mali."

Haec fortasse dicuntur homini, qui depositum reddere non vult, negans, se quidquam accepisse. Certe Menandri *Παρακαταθήκη*, cui Afranii Depositum originem debere existimo, in eiusmodi argumento videtur versata esse. Pollux IX. 76: „*Τὸ δὲ χρυσίον ὅτι τοῦ ἀργυρίου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τῆς Μενάνδρου Παρακαταθήκης μάθοι·*

Ὁλκὴν ταλάντου χρυσίου σοι, παιδίον,
Ἔστησα τηρῶν.

ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ ταὐτοῦ λέγων·

Μακάριος ἐκεῖνος δέκα τάλαντα καταφαγών."

Stobaeus haec inde affert Eclog. Tit. 96. 21 ed. Gaisf.:

„*Αἰσχρὸν γενέσθαι πτωχὸν ἀσθενῆ θ' ἅμα;*"

et Tit. 104. 5:

„*Εὔπιστον ἀτυχῶν ἐστὶν ἄνθρωπος φύσει·*
Τὸν πλησίον γὰρ οἴεται μᾶλλον φρονεῖν
Ὁ τοῖς λογισμοῖς τοῖς ἰδίοις πταίων ἀεί."

Haec omnia videntur senis esse, lamentantis, quod alter, apud quem auri talentum deposuerit, ipsum eo frustratus sit. Praeter hanc Menandri etiam Sophili *Παρακαταθήκη* commemoratur; item Epicratis vel Sosicratis. Cf. Fabricii Bibl. Graec. T. II. p. 431 et 495 cur. Harl.

DIVORTIUM.

I.

Nonius p. 19 ed. Merc.: „Vafrum est callidum et quasi valde Afrum et urbanum. — Afranius in Divortio:

— Qui conére noctu clánculum
Rus íre, dotem né repromittás vafer,
Honéste ut latites ét nos ludas díutius."

Sic haec emendavit Gulielmius Verisimil. I. 2, unde hausisse videtur Mercerius. — in Divortio. Ven. I. II. Par. de divortio. — Qui conere. Ven. I. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. Qui coner. Ven. II. Qui conet. Cuiacius Observatt. XI. 8 Quin coneris. — Rus ire. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. brusire. — repromittas.

Cod. Guelph. promittat. Ven. I. II. Par. repromittat. Ald. Bas. Steph. Jun. remittat. — latites. Ven. I. II. Par. latices. — ludas. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. laudas. Cuiacius l. c. eludas.

II.

Nonius p. 21 ed. Merc.: „Virosae mulieres dicuntur virorum appetentes vel luxuriosae. — Afranius in Divortio:

Vigiláns ac sollers, sícca, sana, sóbria;
Virósa non sum; et sí sim, non desúnt mihi,
Qui ultró dent: aetas íntegra est, formaé satis."

si sim. Sic Stephanus, Gulielmius Quaest. in Plaut. Capt. V., Gronovius Observatt. IV. 2. p. 27. Vulgo si sum. Quod si diceret, concederet mulier, quod modo negavit. — Memoriae lapsu, ut videtur, vel ex argumento titulum fingens, Jos. Scaliger ad Varr. de L. L. VI. p. 93 ed. Bip. hos versus laudat ex Repudiata Afranii. Idem vir egregius l. c. siccam interpretatur minime sputatricem; addens tamen: „Etsi scio, in Afranii verbis siccam esse posse pro sobria dictum: ut apud Plautum in Asinaria (V. 2. 7), et Ciceronem in Academicis (II. 27) sicci homines pro sobriis: sicut contra madidus, et madulsa, pro ebrio. Ita etiam ξηρὸν Graece."

III.

Nonius p. 87 ed. Merc.: „Cognomen est (Cognomine?) eiusdem nominis. Afranius in Divortio:

Letium genus cognominationis morborum cognominis."

Letium. Ven. I. II. Laetium. Par. Laetius. Lipsius Antiquar. lect. V. 14: Leti omne genus cognominationi morborum cognomen est, vel cognomine est. Bothius, post morborum inserens est, tentabat: Leti enim genus etc. „Hoc est," inquit, „nomen leti simile est nomini morborum." Cui contraria sententia in verbis latere mihi videtur, et scribendum fortasse:

— Leti omne genús cognominátionis
Mórborum cognómine. —

Propterea, opinor, cognominationem morborum leti cognominem dicit poëta, quod morbi mortem efficiunt.

IV.

Nonius p. 110 ed. Merc.: „Flaccet, languet, deficit. — Afranius in Divortio:

Dispérii! perturbáta sum! iam fláccet forti-
túdo!“

perturbata sum. Olim legebatur perturbata sunt, quod primus correxit Junius.

V.

Nonius p. 126 ed. Merc.: „Inaudire, audire. Afranius in Divortio:

Novis dictis quaeso, ne ille inaudiat.“

Corrupta haec videntur. Lipsius Epistolic. quaest. V. 25, non improbante Bothio: Nobis dictes etc. Praeferendum puto:

Nobís dicatis, quaéso, ne ille inaúdiat.

VI.

Nonius p. 174 ed. Merc.: „Scelerosi pro scelerati. — Afranius in Divortio:

O′ diem scelerósum, indignum!“ —

indignum. Sic cod. Guelph. Vulgo et indignum, quod metro minus aptum est.

VII.

Nonius p. 185 ed. Merc.: „Verruncent, id est, vertant. — Afranius in Divortio:

Et pónito, averrúncent cum syrmá simul.“

ponito. Ven. I. II. Par. ponto. Ald. Bas. Steph. Jun. puncto. — cum syrma. Ven. I. II. Par. cum syriam. Ald. Bas. Steph. Jun. cur syriam. Lipsio Antiquar. lect. II. 4 in mentem venit: Et ponti averruncent cursuram simul, vel potius verruncent. „Cursura ponti,“ inquit, „navigatio est, ut Virgil. (Aen. I. 534) Huc cursus fuit.“

VIII.

Nonius p. 343 ed. Merc.: „Mitis est maturus. — Afranius in Divortio:

Immo ílli mitem fáxo faciant fústibus.“

illi. Steph. illum. — faciant. Both. facient. Fortasse recte. „Libri faciant,“ inquit, „quod minus elegans est et saepe pro futuro positum in hac forma. Vide, quae laudamus ad Plaut. Curc. 582 (588) in priore ed.“ Certe usitatius est, post futurum in hac forma ponere futurum, quemadmodum post imperativum coniunctivus ponitur.

IX.

Nonius p. 393 ed. Merc.: „Spurcum, saevum vel sanguinarium. Afranius in Divortio:

A. Muliér, novercae nómen huc adde ímpium.
B. Spurca íngeni vestígia haud dicí potest.“

impium. Ven. I. II. imperium. — Spurca. Jun. marg. Spurcae. — ingeni Bothio debetur. Ven. I. II. gremi. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. gremio. Merc. gingi. Jun. marg. gingivae. — vestigia. Bas. Steph. vestigio. — haud. Ven. I. II. aut. — potest omittunt Ven. I. II. Par. — Quod ad sententiam verborum attinet, Bothius haec profert: „Vulgo haec sine personarum discrimine leguntur; sed apparet, accusari ab aliquo novercam, ipsumque nomen mulieris esse hoc loco pro convicio, sicut alibi non semel. Ad quae sic respondet foemina, ut spurca, h. e. saeva aut sanguinaria, ut Non. explicat, vestigia ingeni sive ingenita esse neget hominibus, neque se malam esse propterea quod sit mulier.“

X.

Nonius ibidem: „Afranius — in Divortio:

O dígnum facinus! ádulescentes óptumas,
Bene cónvenientes cóncordesque cúm viris,
Repénte viduas fáciat spurcitiés patris.“

O dignum facinus. Delrius ad Senec. Hippolyt. 620 O indignum f. Taubmannus ad Plaut. Stich. I. 2. 73 Indignum o f. — adulescentes. Legitur adulescentis vel adolescentis, quod nonnulli pro genitivo habentes coniunxerunt cum antecedentibus; ut Muretus Variar. lect. XVIII. 10, inserens qui ante optumas. — concordesque Jun. Muret. Taubmann. Libri concordes. Both. et concordes. — cum viris. Ald. Bas. Jun. eum vires, quod Junius mutandum putat in coniuges. Steph. quum vires. — faciat. Jun. marg. Merc. facias. — spurcities patris. Sic Taubmann. Both. Vulgo spurcitia patris. Muret. spurcitia et probris. — Edd. Ven. et Par. omnia haec non habent.

XI.

Nonius p. 475 ed. Merc.: „Partiret pro partiretur. Afranius in Divortio:

Quum téstamento pátria partissét bona.“

XII.

Nonius p. 509 ed. Merc.: „Diserte et consuetudine dicitur et Afranio auctore in Divortio:

Quod vúlt diserte páctum aut dictum.“ —

pactum. Gulielmius Quaest. in Plaut. Bacchid. V.: „Malim, factum. nescio quid fieri aut dici plane velle se ait.“ Praestat adeo vulgata lectio. — aut. Par. ac. Non male.

XIII.

Nonius p. 515 ed. Merc.: „Perspicate pro perspicaciter. Afranius in Divortio:

Quam pérspicate, quám benigne, quám cito!
Quam blándo, quam matérno vivis péctore!“

Perspicate — perspicate. Sic Ven. I. II. Par. Vulgo Perspicace— perspicace. Multo probabilius videtur, Afranium ad similitudinem aliorum adverbiorum protulisse perspicate, quam singulari terminatione perspicace. — blando. Jun. Merc. blande. — materno vivis. Sic Jun. marg., ubi annotatur, in libro ms. pro vivis esse vias, Merc. in annott., Bothius. Ven. I. II. mater est. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. miti est. Merc. materno vias. — In ed. Merc. prior versus etiam p. 513 exstat.

Hanc togatam Afranium ad imitationem Menandri *Μισογύνου*, quae fabula dicitur Menandrearum pulcherrima, cuique cognominem docuit Attilius, composuisse ex titulo coniici liceat et ex utriusque comoediae reliquiis. Menandri *Μισογύνη* uxor mox adeo in invidiam pervenerat, ut, quidquid faceret, ille in malam partem acciperet, nec quidquam, nisi mala, ex ea sibi fieri viderentur, omnique modo eam vexaret. Vidd. fragmm. apud Meinekium p. 112 et 115. Discrimen utriusque fabulae in eo potissimum constiterit, quod *Μισογύνης*, licet iniuriarum ab ea accusatus (p. 115 ap. Meinek.), amicorum admonitionibus permotus (p. 112 ap. Meinek.), tandem in gratiam redierit cum uxore; in Afranii togata divortium factum sit, cuius causam imprimis fuisse mariti patrem ex fragm. X. coniicio. Quam autem maritus causam pronuntiaverit, cur dimitteret coniugem, ex fragm. II. apparet; eumque fuisse hominem astutum, qui sibi potius haberet dotem, quam mulieri dimissae redderet, docet fragm. I. Atque ex fragm. IX. intelligitur, hominem hanc iam alteram duxisse uxorem, procreatis ex priore liberis, quum ea noverca appel-

letur. Neque enim alia videtur esse haec noverca, nisi ipsa coniux. De fragm. IV. Gulielmius Quaest. in Plaut. Capt. V.: „Mulieris — verba sunt, quae iussa foras ire et res sibi suas habere, restiterat acriter, et mores suos defenderat (fragm. II.). Nunc perturbari se ait viro pertendente, et labascere.“ De caeteris fragmentis minus constat. Ad VII. Bothius annotavit: „ponito, fac, ita evenire averruncent, averruncarint, avertent, furabuntur, ridicule detorta verbi significatione.“ Fortasse potius explicandum est averruncent sc. mulierem, quasi rem malam; ut averruncent significet domo extrudant. Fragm. XI. loquitur, nisi fallor, de patre suo, iam mortuo, uxor, cum viro de dote reddenda litigans. — Cf. Incertt. Afranii I.

EMANCIPATUS.

I.

Nonius p. 89 ed. Merc.: „Causari, causam dicere vel defendere. — Afranius in Emancipato:

Víde, út facunde cóntra causarís patrem.“

Vide, ut. Cod. Guelph. Ven. I. II. Ald. Bas. Videt. Par. Vide. — contra omittunt Par. Ald. Bas. — causaris. Sic Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Vulgo causeris, quod correctoris videtur. Vide, ut facunde, id est, vide, quam facunde. Pronuntiare haec videtur ipse pater.

II.

Nonius p. 109 ed. Merc.: „Fortunare est prosperare et omnibus bonis augere. — Afranius in Emancipato:

Deós ego omnes, út fortunassínt, precor.“

fortunassint. Ven. I. II. fortunati sint.

III.

Nonius p. 496 ed. Merc.: „Veteribus genitivum pro accusativo poni placet. Afranius — in Emancipato:

Optándum uxorem, quaé non vereatúr viri?“

IV.

Nonius p. 517 ed. Merc.: „Desubito. — Afranius in Emancipato:

— Quám beatae scaénicae
Vidéntur mulierés mihi, quae iúrgio
Et bénivolentia térrent desubitó viros.“

mulieres mihi Both. Libri, metro deperdito, mihi mulieres. — iurgio. Ven. I. II. Par. iugo. — benivolentia. Bothius: „Benivolentia non terrentur homines. Scribendum videtur Et bene valentes terr. d. v.“ Fortasse scribendum temulentia vel vinolentia.

V.

Charisius II. p. 177 ap. Putsch.: „Compacto. Afranius in Emancipato:

Te facere compacto omnia.“

Cf. fragm. XIV.

VI.

Charisius II. p. 180 ap. Putsch.: „Heri. — Quidam here putant dici debere quamdiu, heri quando. Afranius tamen in Emancipato:

— Quod herí valetudo, inquit, óbstitit.“

Bothius: „Heri nusquam significat quamdiu. Here et heri idem valent: vidd. Quinctil. 1, 7. (22) et Voss. Etymol. l. l. v. heri.“ Quinctilianus l. l.: „Here nunc e littera terminamus. At veterum comicorum adhuc libris invenio Heri ad me venit (Terent. Phorm. I. 1. 2); quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.“ Donatus ad Terent. l. c.: „Propter cognationem e et i litterarum non dubitaverunt antiqui et here et heri dicere, et mane et mani, et vespere et vesperi.“ Cf. etiam Turnebus Advers. XXIV. 41.

VII.

Charisius II. p. 183 ap. Putsch.: „Lente. Afranius — in Emancipato:

Quam lente tractat me atque illudit.“

VIII.

Charisius II. p. 185 ap. Putsch.: „Nimium. Afranius in Emancipato:

Cur nímium appetimus? Respondetur: Némini nimiúm bene est.“

Male Bas. Steph.: Cur nimium appetimus, si respon-

detur nemini etc. Respondetur grammatici est, non poëtae. Apud Putschium pro eo est R. littera.

IX.

Charisius II. p. 190 ap. Putsch.: „Porro pro in futurum. — Afranius in Emancipato:

Póst narravero: núnc distentus ánimus est negótiis.
Porro aútem propero."

distentus animus est. Libri est distentus animus. Steph. est distentus animus ut. Unde Bothius:

Post narravero,
Nunc ut distentus animus est negotiis;
Porro autem propero.

Haec specie fallere possunt; sed sententia laborat. Nam probabiliter haec nescio quis alteri, de aliqua re ipsum interroganti, respondet, causam proferens, cur non statim ad ea, quae ille interrogavit, respondere possit. Neque omnino dici posse videtur: Post narravero, ut nunc animus negotiis distentus est. Deinde parum accommodati sunt versus iambici trimetri, ubi aliquis cum animi perturbatione loquitur. Alterum versum pro clausula habeo. Cohaerere autem videtur hoc fragmentum cum XXI. — Quod ad Charisii interpretationem vocabuli porro attinet, Bothius annotavit: „Charisius porro non recte interpretatur in futurum, cum valeat ulterius." Non ipse Charisius accusandus videtur, sed librarii. Quod ut illucescat, afferam totum locum, ubi de adverbio porro agitur, qui hic est: „Porro. M. Cato dierum dictarum de Consu. suo: Inde pergo porro ire in Turtam. Idem supra: Itaque porro in Turtam proficiscor servatum illos, pro longius. Afranius in Vopisco: Ferunt di et porro passuros scio. Porro pro in futurum. M. Cato in eodem: Me sollicitum atque exercitum habitum esse atque porro fore. Afranius in Emancipato: Post narravero: nunc distentus animus est negotiis. Porro autem propero." Apparet Afranii locos esse transponendos. Nam in priore porro est in futurum, in altero longius sive ulterius.

X.

Charisius ibidem: „Pudenter. Cicero, ut etiam Maximus notat; tum Afranius in Emancipato:

Malo pudenter mentientem."
mentientem. Steph. metientem.

XI.

Charisius II. p. 191 ap. Putsch.: „Paullo prius. Afranius in Emancipato:

Paullo prius hinc abiit.

Nos paullo ante dicimus." Cf. Repudiati fragm. IV.

XII.

Charisius II. p. 192 ap. Putsch.: „Quam diluculo. Afranius in Emancipato:

Núdius tertiús tute adveňísti quam dilúculo."

Verba Nudius tertius tute advenisti ex Afranii Emancipato Charisius affert etiam p. 185 v. Nudius tertius. Nudius disyllabum est, ut Plaut. Truc. I. 1. 74:

„Nam ego Lémno advenio Athénas nudius tértius."

Item ibidem II. 6. 28; Mostell. IV. 2. 40. Quam diluculo est admodum diluculo, ut ait Bothius.

XIII.

Charisius II. p. 193 ap. Putsch.: „Repentino pro repente. — Afranius in Emancipato:

Ut sínt repentino ápparandae núptiae."

XIV.

Charisius ibidem: „Rite. Afranius in Emancipato:

Idem és, qui semper, ídque ut rite intélligas,
Te fácere." —

Hisce addenda videntur verba compacto omnia ex fragm. V.

XV.

Charisius II. p. 194 ap. Putsch.: „Summatim. Afranius in Emancipato:

— Nae tu summátim rationém putas."

Nae — putas. Steph. Ne — putes.

XVI.

Charisius II. p. 195 ap. Putsch.: „Seorsus. Afranius in Emancipato:

Princípium hoc oro, in ánimo ut sic statuás tuo,
Offíciis cogi, ut ábs te seorsus séntiam
De uxória re." —

statuas tuo. Libri tuo statuas. Correxit Bothius. — Seorsus, seorsum.

XVII.

Charisius II. p. 196 ap. Putsch.: „Secreto. Afranius in Emancipato:

Idcírco haec agere técum secreto ínstiti."

XVIII.

Charisius II. p. 214 ap. Putsch.: „O dolentis est. — Afranius in Emancipato:

O quid clamas!"

Bas. Steph. O quot clamas.

XIX.

Charisius ibidem: „Au. Afranius in Emancipato:

A. Au, mí homo! B. Immo edepol vós supremum meúm concelebretís diem."

Au, mi Steph. An mi.

XX.

Charisius ibidem: „Item in eadem:

Au, quid me censes? Obsecro, non audisti?"

Au, quid me. Steph. An quid me. Both. Au, quid. Non video, quare pronomen me expungendum sit.

XXI.

Charisius ibidem: „Hem. Afranius in Emancipato:

Hém, quid ais? Mane, sérva, quaeso! Nísi molestum est, paúca sunt,
Técum quae volo." —

Cf. fragm. IX. ibique annotata.

XXII.

Priscianus VI. 11. 58. p. 703 ap. Putsch.: „Excipitur (ex iis, quae declinantur ut dies diei, acies aciei) haec quies quietis. Vetustissimi tamen hoc quoque secundum

supradictam proferebant declinationem. Afranius in Emancipato:

Sollícito corde córpus non potitúr quie.“

potitur quie. Libri potitur nunc quie. Bothius: „Sententia non requirit nunc, respuit versus iambicus: quare supposititium esse arbitror.“ Imprimis ideo vocabulum nunc delendum censeo, quod eo expuncto sententia generalis nascitur.

XXIII.

Festus v. Remeare, Fragm. p. 43 ed. Dacer.: „Remeare, redire; ut commeare, ultro citro ire; unde commeatus dari dicitur, id est, tempus, quo (quo quis?) ire redireque possit. Afranius in Emancipato:

Vetuít me sine mercéde prosum Páccius
Remeáre in ludum.“ —

Paccius Jos. Scaliger, Fulvius Ursinus, Bothius. Legitur paucius. Steph. paucis. Fulv. Ursinus praeter Paccius etiam Paucius proponit cum Turnebo Advers. XIII. 25. Fugit me, num alibi quoque istud nomen reperiatur. Paccius a Cicerone Epist. ad Att. IV. 16 aliisque commemoratur. Cf. Weichertus de C. Valgio Rufo p. 28. — Prosum, plane; ludum, ludum litterarium, ut videtur.

XXIV.

Festus v. Oratores, Fragm. p. 16 ed. Dacer.: „Oratores pro deprecatoribus. — Afranius in Emancipato:

. . si . . . . tum si quod oritur . . . .“

Scaliger corrigit: si quid orator . . . . . . Item . . . . Pauciora sunt, quam quae probabiliter expleri possint.

Summa huius fabulae patet ex inscriptione et ex fragmm. I. XIII. XVI. Lis erat exorta inter patrem filiumque emancipatum de puella, quam filius in matrimonium duceret. Huc pertinent Quinctiliani verba Institutt. orat. XI. 1. 65: „Inter patres etiam filiosque, quum intervenisset emancipatio, litigatum scio.“ Ad quem locum interpretes mentionem faciunt Afranii eorum, quae primo loco posuimus. In simili igitur argumento versata videtur haec togata, ac Menandri *Προεγκαλῶν*, unde Stobaeus Eclog. Tit. 76. 8 ed. Gaisf. haec laudat:

„*Οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων ἦν κακόν·*
Λύπη, φόβος, φροντίς, πέρας ἐστὶν οὐδὲ ἕν.“

Ex eadem comoedia fortasse sumpta sunt, quae leguntur apud eundem scriptorem Tit. 76. 8, non addito fabulae nomine:

„Οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἀθλιώτερον πατρός,
Πλὴν ἕτερος ἂν ᾖ πλειόνων παίδων πατήρ."

De singulis Emancipati reliquiis praeterea haec habeo dicere. Fragm. IV. matrem adolescentis pronuntiare puto, quae filium contra patrem adiuvet. Menander apud Stobaeum Eclog. Tit. 76. 7:

„Ἔστιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός·
Ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱόν, ὁ δ' οἴεται."

Fragm. III. contra esse arbitror senis, quum uxor dixerit, ipsi convenire eiusmodi coniugem, quales sint mulieres scaenicae. In fragm. II. ad fortunassint intelligendum videtur adolescentem. Fragm. XVI. haud dubie sunt filii verba, puellam, quam pater ipsi in matrimonium obtrudit, spernentis. Quae XIX. loco apud nos leguntur, eorum alteram partem senem pronuntiare existimo; priorem exclamaverit uxor.

EPISTULA.

I.

Nonius p. 8 ed. Merc.: „Tricae sunt impedimenta et implicationes: et intricare, impedire, morari: dictae quasi τρίχες, quod pullos gallinaceos involvant et impediant capilli, pedibus implicati. — Afranius in Epistola:

Ita íntricavit húius hanc rem témeritas."

II.

Nonius p. 18 ed. Merc.: „Nebulones et tenebriones dicti sunt, qui mendaciis et astutiis suis nebulam quandam et tenebras obiiciant; aut quibus ad fugam fugitivis et furta haec erant accommodata et utilia. — Afranius in Epistula:

Huc venit fugiens tenebrionem Tyrium."

Epistula. Sic cod. Guelph. Vulgo Epistola. — tenebrionem. Cod. Guelph. tenebrione. — Tyrium. Cod. Guelph. tirrium. Ven. I. II. Par. tirium. Steph. Tyrum. Bothius, senarium restituens, Thurium. Quae scriptura si vera esset, hoc Thurium, urbis nomen, non adiectivum, quod est Thurinum, ad Huc pertineret. Non dubito autem, quin, quoniam Tyrii et Carthaginienses, quum mercaturam exercerent prae caeteris, omnino fraudulenti habebantur, recte se habeat vulgata lectio. Cf. fragm. XIX.

III.

Nonius p. 102 ed. Merc.: „Extundere est extorquere vel invenire. Afranius in Epistola:

Itaque ádeo extundo: ex ófficio datúr mihi
Custódiendus." —

Itaque adeo. Ald. Bas. Steph. Jun. Atque adeo. — ex officio. Ald. Bas. Steph. exitio, quod perinde, ut illud Atque adeo, correctoris manum sapit. Gulielmius Verisimil. III. 3 exefficio, quod verbum ut, si Acidalii et Parei coniecturas in Plaut. Curc. II. 3. 85 et Truc. V. 1. 17 exceperis, alibi nusquam reperitur, ita etiam propter repetitam in eo eandem praepositionem ferri nequit. Bothio scribere visum est datur ex officio, quod necessarium quidem esse non puto; quemadmodum omnino cautionem esse adhibendam arbitror in transponendis vocabulis, ne vel alia metra, atque ipsi usi sint poëtae, vel meliores numeros, quam qui ab ipsis profecti sint, perperam iis vindicemus. Hic fortasse adeo ex officio cum vi quadam ponitur ante caetera verba, quibuscum illud cohaeret. Sententiam verborum hanc esse puto: Munus in me defertur, ut eum custodiam; ut ex officio magis pertineat ad Custodiendus, quam ad datur.

IV.

Nonius p. 207 ed. Merc.: „Gelu neutri generis. — Masculini. Afranius in Epistola:

— Quís tu es ventoso ín loco
Soleátus, intempésta noctu, súb dio
Apérto capite, sílices quum findát gelus?"

noctu. Jun. nocte. — dio. Cod. Guelph. Ald. Bas. Steph. Jun. divo. — silices. Ald. Bas. Steph. silicem. — In Ven. I. II. Par. hic locus desideratur.

V.

Nonius p. 221 ed. Merc.: „Rogus masculini generis. — Neutri. Afranius in Epistola:

— Pulchre hoc incendi rogum!
Ardet, tenetur; hoc sepulchro saepe licet."

saepe licet. Ald. Bas. sepelietur. Jun. sepeli licet. — Ven. I. II. Par. Steph. haec non habent. — Palmerius in Spicil., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 857, suspicatus est: ardet: tene tu: hoc sepulcro sepeli ilicet; vel: ardet: taenias fer: hoc sepulcro sepeli ilicet. Melius Bo-

thius, caeteris intactis, restituit sepeliet. „Sepeliet," inquit vir doctus, „diem, vel argentum suum. Videtur haec dicere servulus vel parasitus, postquam adolescentem amore aliquo meretricio irretiit. Menaechmus in Plauti fabula cognomini, versu 78, de domo amasiae:

Clam uxorem ubi sepulcrum habemus, et hunc comburamus diem."

Vix tamen dubito, quin emendandum sit:

— Púlchre hoc incendí rogum!
Ardét, tenetur; híc se pulchre sépeliet!

Facillime se pulchre, praesertim ante sepeliet, transire potuit in sepulchro. Qua mutatione facta, ultro scriptum sit hoc pro hic.

VI.

Nonius p. 256 ed. Merc.: „Comparare veteres confirmare et constituere dixerunt. — Afranius in Epistola:

Nám proba et pudíca quod sum, cónsulo et parcó mihi;
Quóniam comparátum est, uno ut símus contentaé viro."

proba. Par. prona. — pudica quod sum. Ven. I. II. Par. publica quod sine. — consulo. Ven. I. II. Par. consilio. Steph. consulto. — comparatum est. Ven. I. II. Par. comparatum.

VII.

Nonius p. 260 ed. Merc.: „Contendit proripuit vel direxit significat. — Afranius in Epistola:

— Nón licet me, quá contendi sémita,
Pérvenire." —

qua contendi semita. Sic Gulielmius Verisimil. III. 8, Mercerius in annott., Bothius. Ven. I. II. Par. Ald. Jun. quo contendisset ita. Bas. Steph. quo contendissem ita. Merc. qua contendissem ita. qua habet etiam Jun. marg. Palmerius in Spicil., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 783, coniecit quo contendi, sed te ita, vel sed te, Tita, ut sed te significet sine te. — Pervenire. Ven. I. II. Par. praevenire. Both. perbitere, quo obsoleto verbo non est verisimile usum esse Afranium. Versum troch. tetr. cat. facere possis scribendo: Non licet me pervenire, qua etc.

VIII.

Nonius p. 279 ed. Merc.: „Deponere est commendare. — Afranius in Epistola:

Amáre, habere púerum depositúm foris.“

IX.

Nonius p. 375 ed. Merc.: „Protinus, ubicunque lectum est, contra usum intellectus communis, quo statim significare creditur, positum invenitur, ut sit protinus porro ac sine intermissione, continuo, quod iunctum tenus eius significantiam confirmat adverbii. Virgilius namque, in quocunque loco protenus posuit, sub hoc sensu intelligendum reliquit. Et quoniam nonnulli veterum pro eo, quod protinus est, protinam vel protinis converterunt, exempla de his necessaria decerpenda sunt. Afranius in Epistola:

— Cómissatum prótenis rectá domum
Digrédimur.“ —

Comissatum Merc. Both. Antiquiores commissa: Tum. — protenis. Steph. protinis, quod correctum videtur. Merc. Both. protinus. Ex Nonii verbis manifestum est, eum hic tantum formarum protinis et protinam vel, quod idem est, protenis et protenam exempla proponere voluisse. In caeteris, quos affert, locis omnibus protinam exstat. — In Ven. I. II. Par. verba Et quoniam etc. non reperiuntur.

X.

Nonius p. 409 ed. Merc.: „Tristis, iratus. Afranius in Epistola:

Jactávit sese: iáctet. Mihi erit trístior,

id est, iratior.“ Jactavit. Taubmannus ad Plaut. Casin. II. 3. 14 Jactabit.

XI.

Nonius ibidem: „Idem in eadem:

Idém natura trístiori paúllulo.“

Idem natura. Steph. Natura, omisso Idem. — Natura tristior non est iratior, sed severior.

XII.

Nonius p. 482 ed. Merc.: „Callet illam rem pro illa re. — Afranius in Epistola:

Quamquam ístaec malitiósa non tam cálleo,
Tamen nón fefelli?“ —

Tamen non fefelli? Both. Tam non fefellit. Interrogandi signum post fefelli ponendum esse me docuit Jo. Valent. Franckius.

XIII.

Nonius p. 502 ed. Merc.: „Fervit pro fervet. — Ab eo, quod est fervit, breviato accentu fervere facit, ut spernit spernere, Afranius in Epistola:

Ego mísera risu clándestino rúmpier;
Torpére mater ámens, tum ira férvere.“

Sic locum emendavit Bothius. misera risu clandestino rumpier; Torpere. Codd., quibus usus est Mercerius, miso risuclandestino rumpietor fere. Ven. I, miso clandestino rumpi et torquere. Ven. II. Par. misso clandestino rumpi et torquere. Ald. Bas. Jun. miso clandestinorum pietor fere. Steph. misera risu clandestino rumpier, fere. Jun. marg. misi clandestino rumpi. — mater amens, tum ira. Ven. I. II. Par. matura monstra. Ald. Bas. Steph. Merc. matera menstra. Jun. matera menstrua. — Schegkius Praemess. VIII., unde Bothius hausit vocabulum torpere: Ego misera visu clandestino rumpier, torpere natura, menstrua fervere; ut hic puella occultum suum referat partum. At prior versus integer, quemadmodum eum cum Stephano, Mercerio, Bothio scripsimus, exstat apud Non. p. 382 v. Rumpere pro defatigare; nisi quod ibi Jun. rumperer habet pro rumpier. Mercerius alterum versum sic scribendum putavit: Nostrae erae (herae) mater amens ira fervere. Facilius quidem ex matera menstra fit mater amens ira, quam mater amens tum ira vel ex matera menstrua; hoc tamen ad sententiam aptius est.

XIV.

Nonius p. 540 ed. Merc.: „Supparum est linteum femorale, usque ad talos pendens; dictum, quod subtus appareat. — Afranius in Epistola:

— Tace.
Puélla non sum, súpparo si indúta sum?“

Paullus ex Festo: „Supparus, vestimentum puellarum lineum, quod et subucula, id est, camisia, dicitur. Afranius: Puella non sum, supparo si induta sum?“ Ad quem locum Dacerius: „Hunc versum Festi sententiae repugnare ait Vossius

(Etymol. v. Supparum), cum ex eo supparus videatur potius vestimentum virile. Ideoque per interrogationem legit:

Tace, puella non sum supparo si induta sum?

Additque videri verba esse mulieris se puellam simulantis. — Sed fallitur vir doctissimus. Apud Afranium enim homo loquitur, qui, quod supparum indutus esset, ideoque ab obvio quasi puella compellatus, tace inquit, neque enim puella sum, quamvis vestem puellarem induta. Quod et recte advertisse video doctiss. Cuperum." Hoc Bothius quoque probat. At, si istud verum esset, dicendum esset indutus, non induta. Recte ergo posuit Vossius interrogationis signum, modo ne dixisset, verba esse mulieris, puellam se simulantis, sed adolescentuli. Oudendorpius ad Lucani Pharsal. II. 364 annotavit, in scholiis libri Vossiani secundi, ubi laudentur haec Afranii verba, pro supparo si esse nisi supparo, quod nec in metrum quadrat, et inde ortum videtur, quod scholiasta sententiam loci non perspexit.

XV.

Festus v. Quid nisi, Fragm. p. 33 ed. Dacer.: „Quid nisi usurpavisse antiquos testis est Afranius in Epistula:

A. Me auctóre, mater, ábstinebis? B. Quíd nisi?"

XVI.

Festus v. Rates, Fragm. p. 41 ed. Dacer.: „Rates vocant tigna colligata, quae per aquam aguntur; quo vocabulo interdum etiam naves significantur. Afranius in Epistula:

. . . . (vénto per)culsám ratem."

Uncinis inclusa debentur Jos. Scaligero.

XVII.

Festus v. Sospes, Fragm. p. 54 ed. Dacer.: „Sos(pes significat apud) omnes fere au(ctores salvum). Afranius in Ep(istola:

— Di te sóspitem) servént tuis."

Quae uncinis inclusimus, ea expleta sunt a Jos. Scaligero.

XVIII.

Festus v. Succrotilla, Fragm. p. 54 ed. Dacer.: „Succrotilla vox tenuis dicebatur et alta. — Afranius in Epistul(a:

Loquébatur succró)tila voce sério."

Lacunam explevit Fulv. Ursinus, scribens tamen, idque cum Scaligero, succrotilla, quum superfuerit tilla. Both. suspicatur Loquebat succrotilla, quum, quod Fulv. Ursinus offert, metro non conveniat. Sed cf. Titinii Incertt. X.

XIX.

Festus v. Tyria maria, Fragm. p. 76 ed. Dacer.: „Tyria maria in proverbium deductum est, quod Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Afranius in Epistula:

Hunc serrium autem maria Tyria conciet.“

Locus est depravatus. Steph. Hunc servum autem m. T. c. Lipsius Epistolic. quaest. III. 20 Hunc ferreum autem m. T. c.; quod inteipretatur hunc hominem asperum et tangi periculosum ut maria Tyria. Dacerius, Lipsium improbans, legendum putat: Hic servus maria T. c.; quod sit hic servus sibi excitat maria Tyria, rem valde periculosam aggreditur; vel: Hic Syrius maria T. c., ut proverbium de eo sit, qui congrediatur cum potentiore, quod Syri olim imbelles audierint. Bothius coniicit: Hunc Servium autem etc., vel: Hunc servulum etc. Mihi quidem dubium non est, quin haec protulerit Afranius:

Hunc sérium autem, Tý́ria maria, cónciet.

Serius, quod vocabulum merito deducunt a se, id est, sine, et risu, is est, quocum iocari non licet. Cf. Privigni fragm. IV. Tyria maria autem scribendum esse, non tantum ex ipso Festo patet, sed etiam inde, quod potior notio in Tyria est, non in maria. Sententia manifesta est: Hunc severum atque austerum, quasi Tyria maria, concitabit, sive irritabit.

Haec fabula modo Epistula dicitur, modo Epistola. Illud genuinum esse arbitror ideo, quod facilius antiquior forma transire potuit in recentiorem, quam recentior in antiquiorem. Errat autem Hadr. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 4, quum Afranium Epistolas scripsisse perhibet. E Graecorum poëtis scaenicis *Ἐπιστολὴν* docuerat Macho, e Romanis Epistolam Caecilius. Quumque etiam Asotus Caecilii commemoretur, suspicabatur Jo. Valent. Franckius, utramque eandem fuisse fabulam, ex Euthyclis *Ἀσώτοις ἢ Ἐπιστολῇ* expressam, eiusque argumentum simile fuisse argumento Menandreae comoediae, *Θησαυροῦ*, a Luscio Latine redditae, cuius Latinae summam Donatus enarrat ad Terent.

Eunuch. Prol. 10. Pari modo suspicari posses, indidem fluxisse fabulam Afranii, cuius et Epistola et Prodigus laudatur. Dubitationem autem movent haec, quod, ubicunque Caecilii Asotus aut Epistola commemoratur, alterum tantum nomen positum reperitur, quod huius fabula non Asoti, sed Asotus appellatur, quod in fragmentis nihil inest, quod tale argumentum prodat, quale fuisse putavit Franckius. Respexit fortasse in scribenda Asoto Caecilius cognominem fabulam Antiphanis. Ennii autem Asotus, unde duo versus Saturnii afferuntur, rectius mihi haberi videtur pro satira, quam pro comoedia. Ex Afranianae Epistolae fragmentis, quamvis dubitanter, haec fere colligi posse arbitror. Adolescentulus, epistola allata invitatus, ad feminam, quae nupta est (fragm. VI.), matremque apud se habet (fragmm. XIII. XV.), sed cuius vir nescio quo profectus est, ineunte nocte se confert. Paullo post vero maritum, navi vento perculsa (fragm. XVI.), reducem fieri sentiunt. Itaque adolescenti continuo est aufugiendum, et ne cognoscatur a marito, mulier eum supparum sibi inducere iubet; quo ornatu foras procedit abiturus. Sed viro obvio suspicionem movet, interrogatusque, quis sit (fragm. IV.), muliebrem vocem simulans (fragm. XVIII.), dicit, se puellam esse. Quod quum neget alter: Tace, inquit, puella non sum, supparo si induta sum? (fragm. XIV.) simulque proficiscitur. Femina deinde, instante viro, ut sibi dicat, quis iste fuerit, eam puellam fuisse contendit, quae, latronem fugiens, eo venerit (fragm. II.); profertque, postquam vir suspicionem prodidit, inter alia fragm. VI. Ex caeteris reliquiis haud facile quidquam sequitur, quod ad summam fabulae indagandam faciat.

EXCEPTUS.

I.

Nonius p. 138 ed. Merc.: „Maceries, maceratio. Afranius in Excepto:

— Si ille haec nunc séntit, facere illí satis
Vis, quánta illius mórs sit maceriés tibi?“

ille haec nunc. Ven. I. II. ille hic nunc. Par. ille nunc. — sentit. Bas. Steph. sentis. — Aliter, atque nos, haec accepit Bothius, qui, nonnulla mutans, edidit:

Si ille haec nunc sentit, facere vis illi satis?
Quanta illius mors fiet maceries tibi!

In quibus male quidem substantivum mors post acutam ultimam syllabam verbi illius in thesi ponitur. Facillime priorem versum explere possis scribendo Sin ille nunc haec etc. Quadrant autem illa verba non minus bene in Bacchiacum numerum, quam in iambicum. Quod ad sententiam attinet, omnia ista inter se cohaerere mihi videntur, ut facere satis interpreter probare; qua significatione illud usurpatum videmus etiam a Corn. Nepote Att. XXI., ubi Atticus haec pronuntiasse dicitur: „Quantam curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus (id est, qua cura et diligentia) quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam.“ Quem locum non intelligens frustra tentat Bremius.

II.

Nonius p. 154 ed. Merc.: „Palaestricos, quasi ex usu palaestrae. Afranius in Excepto:

Etiám depellis míhi manum palaéstricos?“

palaestricos. Libri mss. paper palaestricos; unde Mercerius fecerit pater palaestricos, quod nec sententiae nec metro est accommodatum. Edd. ante Merc. per palaestricos. Jun. marg. papae palaestricῶς. Metri gratia illud paper vel per prorsus eiiciendum esse vidit Bothius. Pronuntiare autem haec videtur paedico.

III.

Nonius p. 160 ed. Merc.: „Petiolus, a pede diminutive. Afranius in Excepto:

Atque ádeo nolo núdo petiolo íre rus.“

Petiolus — petiolo. Ald. Bas. Steph. Jun. Pediolus — pediolo, ex coniectura, ut videtur. Sed alibi non reperitur pediolus, reperitur petiolus, in quo vocabulo fingendo deseruerunt analogiam, ad quam fit pediculus a pede, ut reticulum a reti. — ire rus. Sic fortasse scribendum. Libri es pus. Perottus Cornucop. v. Petiolus offert ambules; ad sententiam non male. Salmasius ad Solin. p. 154. b. E. aestu. Bothius: „Fort.: [a] Atque — petiolo. [b] Es pius. Vel: pet. esse plus, h. e. amplius, diutius (cf. Terent. Hec. 2, 1, 39.), ut nescio quis se amplius nudis pedibus iturum neget, qui habitus plerumque fuit philosophorum graecorum, inprimis Cynicorum. Vid. Salmas. ad Tertullia-

num de Pallio p. 386 sequ. Philosophiae igitur ille valedicens ad amores resque ludicras studium se suum translaturum esse significaverit. Terent. Andr. 28: —." At deminutivum petiolo monet potius de puero vel puella.

IV.

Nonius p. 216 ed. Merc.: „Ostrea generis feminini. — Afranius in Excepto:

Conchas, echinos, ostreas marinas."

ostreas marinas. Jun. ostreas Lucrinas. Jun. marg. ostream Lucrinam. Facile decipere possit Junii ostreas Lucrinas, quoniam ostreae Lucrinae in deliciis habebantur. Videtur autem marinas non tantum ad ostreas, sed etiam ad Conchas, echinos pertinere. — In Ven. I. II. Par. desideratur locus.

V.

Nonius p. 232 ed. Merc.: „Advorsum — apud significat. — Afranius in Excepto:

De víta ac morte dómini fabuláverit
Advórsum fratrem illíus ac dominúm suum?"

fabulaverit. Libri, metro adversante, fabulavere. Both. fabulabere, quod sententia non fert. Certe hoc recepto etiam suum mutandum esset in tuum.

VI.

Nonius p. 238 ed. Merc.: „Appellare est applicare. Afranius in Excepto:

— Abí tu:
Appéllant huc ád molem nóstram navículam."

Abi tu. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Habitu. Jun. Aditu. — Perperam Marcellus: „Appellare est applicare." Mercerius: „Confundit appellare et appellere. nam certe appellare scriptum fuit, ut in libris inveni, deceptusq. Nonius inflexione verbi in duobus exemplis quae adfert (ex Afranio et Lucilio), quae sunt coniunctivi modi."

VII.

Nonius p. 316 ed. Merc.: „Grassari etiam dicimus ambulare. — Afranius in Excepto:

Consímili grassantúr via, quibus híc est omnis cúltus."

quibus. Libri a quibus. Correxit Mercerius. — Quibus hic est omnis cultus, qui hic omni observantia coluntur. Bothius interpretatur qui hic facillime agitant.

VIII.

Nonius p. 317 ed. Merc.: „Herbam veteres palmam vel victoriam dici volunt. — Afranius in Excepto:

Fit opus luculentum, hoc dici herbam det.“

dici. Jun. marg. diei. — det. Unus cod. Merc. decet. — Bothius: „Fort.: F. o. l. hoc. Dixi. Herbam det. Dixi, luculentum fieri.“ Versus videtur Creticus, fortasse sic scribendus:

Fít opus lúculentum; híc tibi herbám dedet.

Paullus ex Festo: „Herbam do quum ait Plautus, significat victum me fateor; quod est antiquae et pastoralis vitae indicium. Nam qui in prato cursu aut viribus contendebant, quum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam tradebant.“ Etiam porrigere herbam dicebant antiqui. Cf. Vossii Etymol. v. Herba.

IX.

Nonius p. 317 ed. Merc.: „Habere — habitare. — Afranius in Excepto:

— Ubi hic Moschis, quaéso, habet, meretríx
Neapolítis?“

Ubi hic. Bothius, versum explens, Ubi hicnam. Fortasse scribere licet Ubi, dic. — Moschis. Mercerius: „Sic diserte libri nostri. Moschis mulieris nomen l. 47. de iure fisci.“ Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Jun. me scis. Steph. nescis. Jun. marg. in Oscis.

X.

Nonius p. 403 ed. Merc.: „Succedere, ingredi. — Afranius in Excepto:

Audíte, pueri, paúca; vos succédite.“

XI.

Nonius p. 498 ed. Merc.: „Genitivus positus pro ablativo vel adverbio loci. — Afranius in Excepto:

Quod vítae studium aut quód praesidium in
pósterum
Mihi súpponebas, mé quum privastí tui?“

privasti Mercerio debetur. Libri privis. Junius coniecit privas. — In Ven. I. II. Par. desideratur Afranius — tui.

XII.

Nonius p. 523 ed. Merc.: „Operari est deos religiose et cum summa veneratione sacrificiis litare, vel convivari. — Afranius in Excepto:

— Proficíscor:
Res, témpu', locus, simul ótium hortabátur, ut operátum
Illúm Dianae dégerem sanctúm diem.“ —

tempus, locus. Ven. I. II. Par. locus tempus. — Insolentius in hisce usurpatur supinum, quod est operatum.

XIII.

Nonius ibidem: „Idem in eadem:

— Jubeo hominem tólli
Et cóllocari et cónfoveri; sólvo operam Diánae.“

XIV.

Nonius p. 535 ed. Merc.: „Cymba. Afranius in Excepto:

Túm conscendo cýmbam interibi lúcis piscatóriam;
Vénio; iacitur áncora; inhibent léniter.“ —

lucis. Sic Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. E coniectura, ut videtur, Jun. marg. Merc. Both. luci. Gronovius Observatt. IV. 26. p. 414 loci. Dicitur quidem et interea loci et ibi loci, nec dubito, quin etiam interibi loci dicere liceat; sed in his Afranii verbis interibi loci cum antecedente Tum consociari nequit. Nec versus istud fert. Genuinum videtur interibi lucis, idque significare puto inter lucem sive inter diem, id est, sole nondum occidente vel nondum occaso; ut his verbis accuratius definiatur antecedens Tum. — inhibent sc. cymbam. Ven. I. II. Par. inhibet. — leniter. Libri leviter. Correxit Bothius.

XV.

Nonius p. 541 ed. Merc.: „Meretrices apud veteres succinctiore veste utebantur. Afranius in Excepto:

A. Meretríx cum veste lónga? B. Peregrino ín loco
Solét tutandi caúsa sese súmere."

Recte, ut videtur, haec inter duas personas divisa sunt a Bothio.

Exceptus videtur is esse, qui fata sua narrat fragmm. XII. XIII. XIV.

FRATRES.

Bothius: „Frustra," inquit, „ex huius nostri Fratribus laudata apud scriptores Steph. distinguit ab iis, quae referuntur ad Fratrias, cum una eademque haec sit fabula; id quod ipse confitetur. Fratribus scripsisse videntur, qui pro eo positum fratriis perperam existimarent per soloecismum." Unam eandemque hanc esse fabulam, intelligitur ex eo, quod saepius eadem fragmenta tum ex Fratriis tum ex Fratribus laudantur. Vidd. Fratriarum fragmm. II. III. IV. VI. XIII. XIV. XV. Veram autem inscriptionem esse Fratrias, non Fratres, certum est non ideo tantum, quod illa multo plus habet auctoritatis, quam altera, sed etiam, quod Fratribus facilius oriri potuit ex Fratriis, quam Fratriis ex Fratribus, quod factum esse arbitror ex Fratris, in quod transierat Fratriis.

FRATRIAE.

I.

Nonius p. 28 ed. Merc.: „Merenda dicitur cibus, qui datur post meridiem. Afranius in Fratriis:

'Interim meréndam occurro; ad coénam quum vení, iuvat."

Fratriis. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — Interim. Cod. Guelph. inter; item Bothius, ineptam dicens lectionem Interim. Perperam, opinor. Qui enim pronuntiat Inter merendam occurro, is necessario etiam scit, se inter merendam occurrere, neque addere potest ad coenam quum veni, iuvat. Merendam autem vel, quod idem est, ad merendam occurro etiam is dicere potest, qui tantam con-

silium habet merendae occurrere vel merendam offendere. Praeterea maxima pars librorum et ipse versus est argumento, recte se habere Interim.

II.

Nonius p. 64 ed. Merc.: „Praeclavium, pars vestis, quae ante clavum texitur. Afranius — in Fratriis:

Mea nútrix, surge, sí vis; profer púrpuram,
Praeclávium, contéxtus.“ —

Fratriis. Ven. I. II. Par. fratris. Ald. Bas. Steph. fratribus. — vis. Par. vix.

III.

Nonius p. 73 ed. Merc.: „Assestrix femininum est ab eo, quod est assessor. Afranius in Fratriis:

Dimíttit iam assestrícem; me ad sesé vocat.“

Fratriis. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. fratris. Ald. Bas. Steph. fratribus. — iam, quod vulgo omittitur, addidi ex Ven. I. II. Par. Haud facile quidem dixeris, qui nasci potuerit illud, nisi antiquitus fuerit in libris. — ad sese. Ven. I. II. Par. Jun. marg. adesse. — Assestricem Bothius consiliatricem intelligat potius, quam obstetricem cum quibusdam lexicographis. Cf. tamen fragm. X.

IV.

Nonius p. 73 ed. Merc.: „Atri dies dicuntur, quos nunc nefastos vel posteros vocant. Afranius in Fratriis:

Septémbris heri Kaléndae: hodie atér dies.“

Fratriis. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. fratris. Ald. Bas. Steph. fratribus. — Kalendae non liquescit. Ven. II. Kalende. Par. calendas. Steph. calenda. — ater dies. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. atri dies, quod ortum videtur ex Nonii verbis. — Cf. Attae Lucubrationis fragm. ibique annotata.

V.

Nonius p. 131 ed. Merc.: „Lucuns. — Afranius in Fratriis:

Pistóri nubat? cúr non scriblitário,
Ut míttat fratris fílio lucúnculos?“

Fratriis. Cod. Guelph. Ven. I. II. Ald. fratris. — Pistori nubat profectum est a Lipsio Antiquar. lect. II. 4. Libri

Pistori novat. Jun. marg. Pistor ovat. Turnebus Advers. XVIII. 20 Pistori cur non. Scaliger ad Fest. v. Lucuntere, Vossius Etymol. v. Lucuntem: Pistori non: at. — scriblitario. Sic correxerunt viri docti. Cod. Guelph. litario. Ven. I. II. scrilitario. Ald. Bas. Jun. scribitario. Steph. scribitari. Merc. scribilitario. — mittat. Steph. mittas. — lucunculos. Cod. Guelph. luculentus. Ven. I. II. Ald. Bas. Steph. Jun. luculentulus. — In ed. Par. desiderantur verba Afranius etc. — Pistori nubat? cur non scriblitario, id est, ut opinor, si pistori nubat, cur non scriblitario pistori nubat? Vulgo haec aliter accipiunt, scriblitario pro substantivo habentes. Bothius etiam verba inter duas personas divisit. Cf. Attae Aediliciae fragm. II.

VI.

Nonius p. 147 ed. Merc.: „Olat pro oleat. Afranius in Fratriis:

Nón potest, quin ílla stacta lóngeque et multís olat.“

Fratriis. Cod. Guelph. fratris. Ven. I. II. Par. fratre. — quin illa stacta. Ven. I. II. Par. Jun. quin illa tacta. Ald. Bas. Steph. qui in illas tacta. — Priscianus VIII. 17. 95. p. 838 ap. Putsch.: „Oleo oles, et olo olis. Afranius in Fratribus: Non potest, qui in illa est acta longeque et cunctis olat.“ Ad quem locum Krehlius: „Pro est Zwicc. 2. et. Pro acta Ms. Lips. 1. aera. Idem olae pro olat; alii olet. Ms. Erl. 1. 2. olit.“ — „Stacta,“ inquit Bothius, „μεταφορικῶς dici videtur amasia, ut apud Plautum Mostell. 302 (I. 3. 150). Cf. Curcul. 102 (I. 2. 6 sqq.).“ — multis, multis rebus, unguentis.

VII.

Nonius p. 174 ed. Merc.: „Speratum, id est, sponsum. Afranius in Fratriis:

— Cúrre, et núntia
Veníre me, et mecúm speratum addúcere.
Vide, út puellam cúrent; conformént iube.“

Fratriis. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — Afranii locum dedimus ex emendatione Lipsii Epistolic. quaest. V. 25. — Venire me. Libri venire. — mecum. Jun. marg. me tum. — adducere. Libri adduce. — Vide, ut. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. videat. —

curent. Ven. I. II. Par. currant. — conforment. Steph. conformentur. — Scaliger ad Varr. de L. L. V. p. 71 ed. Bip.:

— curre et nuntia
Venire, et mecum adduce speratam meam.
Videas, puellam curent, confirment iube.

Bothius:

Curre et nuntia venire et meam speratam adducere.
Vide, ut puellam curent; conforment iube.

Nescio quis dicit, se venire et secum adducere sponsum; cui ut magis placeat sponsa, eam curari et exornari iubet. Cf. annotata in fine fabulae reliquiarum.

VIII.

Nonius ibidem: „Idem in eadem:

— Sperátam non odí tuam.“

odi. Scaliger ad Varr. de L. L. V. p. 71 ed. Bip. audi. Mercerius, si quid mutandum esset, mallet novi.

IX.

Nonius p. 280 ed. Merc.: „Dicere — promittere. — Afranius — in Fratriis:

Dat rústico nescío cui vicinó suo
Perpaúperi, cui dícat dotis paúllulum.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — Dat rustico. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Jun. de rustico. Lipsius Epist. quaest. V. 25 Det rustico. — dicat. Ven. I. II. dat. Par. dicit.

X.

Nonius p. 291 ed. Merc.: „Exigere est excludere. — Afranius in Fratriis:

Retinébitur viri éx voluntate única
Probábili, praegnántem quod non éxigat.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — viri ex. Libri vir ut. Both. viri haec. — unica. Vulgo una, repugnante metro. Correxit Bothius.

XI.

Nonius p. 306 ed. Merc.: „Fortis — dives. — Afranius in Fratriis:

Formósa virgo est: dótis dimidiúm vocant
Istí, qui dotes négligunt uxórias:
Praetérea fortis.“ —

Fratriis. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — dotis. Ven. II. Par. votis. — Isti, qui. Ven. I. II. Par. isti dimidium dotis qui. — uxorias. Ven. I. II. uxori. Par. uxoris.

XII.

Nonius p. 309 ed. Merc.: „Fingere, simulare mendacium. Afranius in Fratriis:

— Nunc vide hóc, quo pacto ego aúrum in medium próferam.
Tú, Castalia, cógita, tu fínge, fabricare, út lubet.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. Ald. fratris. — ego. Vulgo eo. Correxit Bothius. Par. omittit vocabulum, hiante quidem versu. — medium. Ald. Bas. Steph. medio. — Castalia. Par. calcaria. — ut lubet. Ald. Bas. Steph. Jun. Merc. uti lubet vel libet.

XIII.

Nonius p. 393 ed. Merc.: „Spurcum, saevum vel sanguinarium. — Afranius in Fratriis:

Cómmemorabo, osténdam illius fácta et spurcitiam ímprobi.“

Fratriis. Ald. Bas. Steph. fratribus. — spurcitiam. Sic Jun. marg. et Both. Ald. Bas. Steph. Jun. spurca. Merc. spurcitia. — Ven. I. II. Par. non habent Afranius — improbi.

XIV.

Nonius p. 397 ed. Merc.: „Sacrum — scelestum et detestabile; ita et consecratum. Afranius in Fratriis:

— 'O sacrum scurram ét malum!“

Fratriis. Ald. Bas. Steph. fratribus. — In Ven. I. II. Par. non est Afranius — malum.

XV.

Nonius p. 398 ed. Merc.: „Supplicium — supplicatio. — Afranius in Fratriis:

— Nullám profecto accéssi ad aram, quín deos
Supplíciis, sumptu, vótis, donis, précibus, plorans, óbsecrans,
Nequídquam defatígarem.“ —

Fratriis — votis. Ald. Bas. Steph. Jun. fratribus — vatis. — Ven. I. II. Par. non agnoscunt Afranius — defatigarem. — Perperam Bothius, plorans non sufficere versui perhibens, et defatigarem modulo versus maius esse vocabulum:

— Nullam profecto accessi
Ad aram, quin deos suppliciis, sumtu, votis, donis,
Precibus implorans, obsecrans, nequidquam defetigem.

XVI.

Nonius p. 434 ed. Merc.: „Quaerere et requirere hoc differt, quoniam requirere est diu quaerere. Afranius in Fratriis:

Proin tú, quum quaeram, né requiram té, vide.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. fratris. — tu, quum. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. tutum. — Ne requiram, ne desiderem, ut interpretatur Bothius, nimis angustam esse Nonii explicationem pronuntians.

XVII.

Nonius p. 477 ed. Merc.: „Manducatur pro manducat. — Afranius in Fratriis:

— Facile mánducari quí potest.“

Fratriis. Ald. fratris. Stephanus inter incerta Afranii offert Fratris facile manducari qui potest, licet sub Fratriarum nomine posuerit Facile etc. — In Ven. I. II. Par. non reperitur Afranius — potest.

XVIII.

Nonius p. 497 ed. Merc.: „Accusativus vel nominativus positus pro ablativo. — Afranius — in Fratriis:

— Id aurum mé condonat lítteris.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. fratris. Eaedem omittunt vocabulum litteris; Stephanus totum locum. — Recte Bothius: „Accusativum pro ablativo in hisce usurpatum censet Nonius. Falso: neque enim dicitur aliquem re aliqua condonare,

usitate dicitur condonare alicui aliquid. Ergo exemplum hoc est accusativi pro dativo positi in ea forma loquendi, id quod et ipsum minime est insolens.

XIX.

Nonius p. 504 ed. Merc.: „Lavit pro lavat. — Laverent etiam inde manavit. — Afranius in Fratriis:

— Aquam ex sino hauríre, qui laverént manus.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. fratris. Ald. phratriis. — sino Bothio debetur. Ven. I. II. Merc. seno. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. coeno. — laverent. Merc. Both. laveret, quod fortasse Mercerio inscio irrepsit.

XX.

Nonius p. 540 ed. Merc.: „Toga non solum viri, sed etiam feminae utebantur. Afranius in Fratriis:

'Et quidem prandére stantem nóbiscum, incinctám toga.“

Fratriis. Ven. I. II. Par. fratris. Ald. phratriis. — Et quidem Bothius restituit. Ven. I. II. Par. Quidem. Vulgo Equidem, imperfecto quidem versu. — incinctam toga. Ven. I. II. Par. Jun. Merc. incinctam togam. Ald. Bas. Steph. incincta togam. Emendavit Bothius. — Incinctam, amictam, ab incingendo.

XXI.

Nonius p. 544 ed. Merc.: „Lenis, vasis genus. Afranius in Fratriis:

Labella, lenis.“

Ven. I. II. Par. Steph. haec non habent.

Paullus ex Festo: „Fratria, uxor fratris.“ Nonius p. 557 ed. Merc.: „Fratriae appellantur fratrum inter se uxores.“ Cf. Vossii Etymol. L. L. v. Frater. Tribus quoque vocatas esse fratrias (φρατρίας), id huc pertinere non arbitror; licet ex fragmentis non appareat, quales fuerint fratriarum illarum partes in hac togata, cuius summa videtur in eo posita fuisse, ut puella rustico cuidam pistori matrimonio iungeretur. Fragmm. V. IX. Commendatur puella fragm. XI. Machinas, ad viri animum capiendum structas, produnt fragmm. XII. XVIII., neque eas inanes fragm. VII. Cf. VIII. Non statim tamen nuptias fieri potuisse, concludere licet ex fragm.

IV.; etsi coenasse homines in hac fabula intelligitur ex fragm. I. Cf. XIX. XX. Fragmm. I. XIV. XVII. prodere videntur parasitum. Is fortasse irritum redditurus erat inceptum. Fragmm. XIII. XIV.

H O M O.

Vidd. annotata in fine fragmm. Ominis.

I D A.

Festus v. Petulantes, Fragm. p. 88 ed. Dacer.: „Petulantes et petulci etiam appellantur, qui protervo impetu et crebro petunt laedendi alterius gratia. — Afranius in Ida:

Nostrum ín conventum aut cónsessum, ludúm lapsumque petúlcum.“

Ida videtur corruptum esse. Bothius in eo latere putat Icta, quod interpretatur Ebria. Nisi fallor, inscripta fuit haec togata Ira, quod depravatum esse arbitror in Ita, idque in Ida. Expresserit autem Afranius Iram suam ex Ὀργῇ Menandri, cuius reliquiae minime repugnant fragmento posito.

I M A vel I M I.

Vid. Inimicorum fragm. I.

I N C E N D I U M.

I.

Nonius p. 78 ed. Merc.: „Blaterare, confingere per mendacia. Afranius — in Incendio:

Illud memento, ne quid in primis blateres.“

blateres. Bothius blatis, haec annotans: „Non blatis, sed legitur vulgo blateres, quod versui non conveniens habendum est pro interpretatione vocis rarioris, qua et Plautus usus. Dictum autem blatis pro blatas, ἀρχαϊκῶς, sicut edim, edis, pro edam, edas, apud Sarsinatem; neque concedo viris doctis de forma blatire, sed blatero derivandum censeo a blato, sicut lambero a lambo. Cf. Vossii

Etymol. L. L. v. blaterones.“ Fuerunt etiam ante Bothium inter Plauti interpretes, qui ita sentirent. Apud Afranium tamen fuisse obsoletum blatis, non credo. De metro cf. annott. ad Abductae fragm. III. — In primis, primum, ab initio, ut explicat Bothius.

II.

Nonius p. 268 ed. Merc.: „Coniicere, furari, auferre. Afranius in Incendio:

— Servus ést mihi Nicásio
Scelerátus, curiósus; is cum fílio
It cóniicere ad nescío quid de ratiúncula.“

Servus. Ven. I. II. Par. Serus. — Nicasio. Ven. I. II. Par. in cassio. Ald. Bas. Jun. in casio. — It. Sic Gulielmius Verisimil. I. 2. Vulgo ei. — ad. Ven. I. II. ab ad. Gulielmius hac. — quid coniecerunt Stephanus, Junius, Gulielmius; unde fortasse hausit Mercerius. Olim vulgo quicquid. — ratiuncula profectum est a Junio, probantibus recentioribus. Libri latratiuncula, vel etiam, teste Junio, latriuncula. Bothius: „Coniicere,“ inquit, „videtur esse criminari, non furari, quod vult Non.; ad significat propter.“ Puto, coniicere hic esse suspicari, colligere; ad secundum, ex.

III.

Nonius p. 270 ed. Merc.: „Concedere, recedere vel cedere. — Afranius in Incendio:

Atque étiam incendit hóc; procul concéssero.“

Atque etiam incendit hoc. Ald. Bas. Steph. Atque haec etiam incendit hoc. Gulielmius Verisimil. I. 2, hoc fragmentum comparans cum II., Atque eccum incedit, hoc. Lipsius Epistolic. quaest. II. 22 Atque ellam incedit huc. Incedit huc Stephanus quoque suspicatus erat. Bothius incendit haud dubie accipiendum esse dicit pro incenditur; quemadmodum activa nonnunquam usurpentur. Fortasse incendit sc. flamma.

IV.

Nonius p. 392 ed. Merc.: „Spissum significat tarde (tardum). — Afranius in Incendio:

'Itaque spissum fíeri vidétur; non possúm domi
Meúm virum exspectáre, quem mihi stúdeo iamdudúm dari.“

Incendio. Ald. Bas. Steph. caedo. Inde error se propa-

gavit, quasi Afranius Caedum fabulam scripserit. Vid. Funccius de Adolesc. Lat. ling. p. 97. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 4 etiam cedo lectum esse pro Incendio annotavit. Sic fere nasci potuit depravatio: in incendio, incendio, in cendio, cendio, cēdio, cedio, cedo, caedo. Quum autem Bothius Comicc. Lat. fragmm. p. 162 Stephanum sub Caedonis nomine fragmentum posuisse dicit, parum attentus legit, quae apud illum exstant. — fieri videtur Both. Libri videtur fieri, quod versui non sufficit. Producitur prima syllaba verbi fieri, ut alibi quoque haud raro. — possum. Ald. Bas. Steph. possunt. — Dari, obviam fieri, Bothio interprete. — In Ven. I. II. Par. frustra quaeruntur verba Afranius — dari.

V.

Nonius p. 473 ed. Merc.: „Exsecrarent. Afranius in Incendio:

Expériurabant, éxsecrabant se ác suos.“

VI.

Nonius p. 518 ed. Merc.: „Derepente. — Afranius in Incendio:

Non úsquequaque idóneum inveniás locum,
Ubi dérepente, quúm velis, faciás lutum.“

facias lutum. Lipsius Epistolic. quaest. V. 25 facias lucrum. Bothius, interpungens post facias: „Inepte libri sine distinctione facias lutum. Facere verbum nequam est, apud Petronium aliosque non infrequens; lutum inter convicia. Responderit haec aliquis de stupro se appellanti. Nisi scribendum sit — fac. lucrum.“ Neutra harum coniecturarum apte quadrat in locum. Non dubito equidem, quin facias lutum dictum sit pro caces.

VII.

Priscianus VI. 8. 42. p. 697 ap. Putsch.: „Non est tamen ignorandum, quod etiam hic puerus, hic et haec puer vetustissimi protulisse inveniuntur, et puellus puella. — Afranius in Incendio:

O púere, puere, síne prospicere mé mihi.“

prospicere me. Sic Both. et Krehl. e codd. Vulgo minus concinne me prospicere.

Suetonius Neron. XI.: „Inducta est et Afranii togata, quae Incendium inscribitur, concessumque, ut scaenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent.“ Fragmenta non ita sunt comparata, ut inde iudicium de fabulae summa ferre possis.

INIMICI.

I.

Nonius p. 306 ed. Merc.: „Facessere est facere. — Afranius in Inimicis:

— Multa átque molesta es. Pótin', ut dicta facéssas?“

in Inimicis. Ven. I. II. Par. Merc. in imis. Ald. Bas. Jun. imis. Steph. locum ex Imis affert. Nihil certius potest esse, quam veram scripturam esse eam, quam ex Junii coniectura et Bothii exhibuimus: in inimicis, inimicis, inimis, in imis, imis. Cautior igitur hic fuit Bothius, quam par est, quamque alias esse solet, quum fragmentum allatum sub Inimicorum nomine ponere dubitavit. — molesta es. Potin'. Sic Jun. marg. Merc. Bothius. Ven. I. II. molesta es potiri. Par. Ald. Jun. molesta potiri. Bas. Steph. molesta res potis. — dicta facessas. Ven. I. II. dictis facesses. Par. dictus facesses. Bas. dicta facesses.

II.

Nonius p. 477 ed. Merc.: „Adiutatur pro adiutat. — Afranius in Inimicis:

Haec, óbsecro, igitur ágite; ut me adiutémini.“

Haec. Merc. Both. hoc. — agite omittunt Ven. I. II. Par. Ald. — ut me adiutemini. Sic Ven. I. II. et Par. Ald. ut me adiutamini. Recentiores et me adiutamini.

LIBERTUS.

I.

Nonius p. 150 ed. Merc.: „Possestrix, a possidendo. Afranius in Liberto:

Tuí monilis póssestricem.“ —

in Liberto: Tui. Codd., quibus usus est Mercerius, Ven. I. II. Jun. marg. Aliber totus. Par. It liberus totus. Ald. Bas. Steph. Jun. Aliber totius. Merc. in ordine Liberto: Tius; idem in annott. Liberto: Tui. Bothius incidit in Aulo (vel in) liberto: Tui. Suspicati sunt etiam, quod vix operae pretium est afferre, Aequalibus. Totus, aliter eius, a libertate ius, a liberto eius. Scriptum fuisse arbitror Afra. liberto etc., idque depravatum esse in Afr. a liberto etc., quod habet cod. Guelph. — monilis. Ven. I. II. Par. in ovilis.

II.

Nonius p. 307 ed. Merc.: „Facessere significat recedere. — Afranius in Liberto:

Nolo híc te videat: dóminus est. Puér, facesse hinc.“

Versus est iambicus trimeter hypercatalecticus; siquidem recte una serie verba cum Bothio posuimus. In Titinii fragmentis plures eiusmodi versus reperiuntur; apud Afranium hic solus.

MARITI.

Nonius p. 507 ed. Merc.: „Obedibo pro obediam. Afranius in Maritis:

Meo ut óbsequar amóri, obedibó tibi.“

Maritis. Junius Elench. auctor. ad Non. scribendum putat Materteris, quum Materterae Afranii fabula saepius laudetur, Mariti semel tantum; quod levius est argumentum. — obsequar. Merc. male obsequerer. Both. obsequaris. Facilius esset obsequare. Sed defendi posse videtur librorum lectio obsequar: Amor meus erga te me impellit, ut tibi obediam.

MATERTERAE.

I.

Nonius p. 41 ed. Merc.: „Sepiunt significat tenent, impediunt; dictum a sepibus, quae obiectae iter claudunt; unde et circumseptum dicitur. Afranius in Materteris:

— Perii! lácrimae linguam sépiunt.“

II.

Nonius p. 124 ed. Merc.: „Inibi pro sic et mox. Afranius in Materteris:

— Postquam se vídit
Inibi ésse ingratam, párvulam soróribus comméndat.

Caecilius in Plocio: Liberne es? Non sum, verum inibi est. Pacuvius in Iliona: Profecto aut inibi est, aut iam potiuntur Frugum." ingratam. Par. gnatam. Vulgo gignatam. Junio et Mercerio scribendum videbatur ignotam. Bothius edidit:

Postquam esse vidit inibi sese segregatam, parvulam
Sororibus commendat.

Idem annotat: „Inibi valet in eo, inibi esse aliquid in eo esse, ut aliquid sis vel fias. Quae hoc loquitur, tantum non segregata fuit a marito et parvula filia, quam propterea sororibus tradit commendatque." Nonii quidem interpretatio vocabuli inepta est. In Caecilii loco inibi est manifesto significat prope est, ut fiam; in Pacuvii prope est, ut potiantur. Apud Afranium similiter inibi positum videtur pro iam iamque; ut Gell. I. 3: „Quum eum inibi mors occuparet;" id est, quum prope esset, ut moreretur. Nec vero dicere licet cum Bothio inibi esse aliquid, quia inibi esse non perinde coniungitur cum nomine, ut in eo esse; quamvis huius significatio non abhorreat ab illius significatione. Ubicunque inibi est vel inibi esse legitur, aut ex antecedentibus aut ex sequentibus, ut in allatis Caecilii et Pacuvii locis, aliquid intelligendum est. Nec usquam ab eo pendet accusativus cum infinitivo, id quod putare videtur vir doctus. — Ingratam, minus acceptam. Gratum pro acceptum de hominibus etiam alibi dicitur. Vidd. Lexica.

III.

Nonius p. 149 ed. Merc.: „Panus, tramae involucrum, quem diminutive panuclam vocamus. — Tumor quoque inguinum ex formae similitudine sic vocatur. Afranius in Matertera:

In ínguine plenam pápulam, panum, týmpanum."

In inguine. Libri In quem; quod quin corruptum sit, non est quod dubitemus. Et sententiae et versui optime convenit, quod pro eo restituimus; etsi facilior sit mutatio in Inguen,

quod et ipsum a sententia non abhorreat. Plenam, pure expletam, purulentam, vel magnam. Tympanum, quod propter similitudinem cum aliis rebus varias habet significationes, hic perinde, ut panus, pro tuberis genere positum videtur. Bothius haec sibi in mentem venisse dicit: „Inquam: plenam, papulam etc., quae responderit interrogatus, qualem esse putet nescio quam mulierem. Plenam, saburratam ac stolidam, quemadmodum Lucil. dixit plenum rusticum. Vid. Parei lexicon Plaut. v. dentes blenni. Nisi ponendum sit blennam, *βλένναν, μύξαν, κόρυζαν* (cf. Voss. Etymol. L. L. v. blennus), ut hic quoque res pro persona dicta sit, sicut in sequentibus, in quibus papula est papulis obsita, panum tuberculi genere illo, quod panus dicitur, laborans; denique tympanum tympanotriba, ut cum Plauto loquar; quae omnia ad contemtum derisionemque pertinent. Cf. Privigni 2 (apud nos quoque II.).“ In quibus non video quidquam, quod probari possit.

IV.

Nonius p. 267 ed. Merc.: „Coniicere, agere. Afranius in Materteris:

— Causam cóniicere hodie ad té volo.
Ambón' adestis? Prófuturos árbitror.“

ad te. Turnebus Advers. XXIV. 46 apud te, et XXVIII. 15 hic apud te. — Ambon'. Ven. I. II. Par. ambos. Ald. Bas. Steph. Jun. ambo. — Ex Bothii explicatione ad te valet apud te. Fortasse tamen causam coniicere ad aliquem idem fere significat, quod verba coniicere vel simpliciter coniicere cum aliquo. Cf. Incendii fragm. II., Simulantis III. et IV.

V.

Nonius p. 392 ed. Merc.: „Spissum significat tarde (tardum). — Afranius — in Matertera:

— Quod deféssa exspectandó domi
Sédi, quod spissó venire vísus est maní mihi.“

exspectando. Bas. expectant. Steph. exspectans. — quod. Both. quoad. — visus Both. Vulgo visum. — est mani mihi. Ald. Bas. Steph. est mihi, omisso mani. — In Ven. I. II. Par. desiderantur verba in Matertera etc.

VI.

Nonius p. 514 ed. Merc.: „Largitus pro large. Afranius in Materteris:

Quid ístuc est? quid flés? quid lacrumas lárgitus? Prolóquere." —

istuc. Ven. I. II. Par. istud. — Proloquere Bothius omisit, fortasse, ut tacitus, ita imprudens.

VII.

Charisius II. p. 180 ap. Putsch.: „Ilicet pro nunc. Afranius in Materteris, quum quis balbum supra modum disserere conantem laudaret:

— An tu éloquens ílicet?

id est, subito, aut extemplo." Vulgo male legitur: „Materteris: Quum is Balbum supra modum disserere conantem laudaret, an tu eloquens ilicet;" quasi verba Quum is — ilicet omnia Afranii sint, in cuius fragmenta etiam Stephanus ea retulit. Correxit locum Bothius. Nihil autem inest laudis in Afranii verbis, quod vult Sosipater; nisi quis scribendum existimet Ah! tu eloquens ilicet.

VIII.

Festus v. Nenia, Fragm. p. 2 ed. Dacer.: „Nenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. (Quod vocabulum Afra)nius in Ma(terteris posuit:

Neniam autem inter exse)quias canti(tabant.)"

Lacunas explerunt editores. Neniam autem inter etc. Sic Fulv. Ursinus. Scaliger Naeniam inter etc. Bothius Neniam autem cantitabant inter exsequias. Transpositione eorum, quae non deleta fuerunt, quum lacunae facile alia ratione expleri possint, abstinendum videtur. Versum sic facere possis:

Illae aútem neniam ínter exsequias cántitant.

Materterae haec fabula inscripta fuisse videtur, non Matertera, ut concludere licet ex fragm. II. Pluribus etiam locis Materteris legitur, quam Matertera. Eandem scripturae varietatem esse apud Attam, supra vidimus.

MEGALENSIA.

Nonius p. 515 ed. Merc.: „Saniter. Afranius in Megalensibus:

Adesto, assentio, te amare me, adorare saniter."

Adesto. Steph. Adeste. — amare. Jun. marg. Merc. non amare. — adorare saniter. Jun. marg. at adorare saniter. Merc. adorare ac saniter. Taubmannus ad Plaut. Curc. I. 1. 70, Barthius Advers. XXXII. 13 adorare suaviter. — Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 781, haec finxit: Adest: eat st: sentio te amare me, adorare saviter. Palmerio et Taubmanno adorare est salutare, Barthio deosculari. Bothius: „Megalensium," inquit, „fragmentum sic olim se videtur habuisse: Adesto. Adsentio, Te nunc am. me, adorare; at saniter, h. e. ita ut sanum decet. Saepe mixta in codicibus nunc et non." Suspectum est autem vocabulum non; suspectum etiam at vel ac. Utrumque ex Junii coniectura videtur fluxisse. Facillima mutatione atque optima sententia hoc modo emendabis:

At ésto: assentió, te amare me, átque orare sániter.

Ex atque orare ortum ac orare, inde adorare. Saniter tantum ad orare pertinet, non item ad amare.

Megalensia etiam Attae laudatur fabula. Cf. annotata ad Compitalium fragmm. in fine.

NEAERA, NERARIA.

Vidd. annott. ad Ominis fragm. VII.

NOMEN, NOMIUS, *ΝΟΜΟΣ*.

Vidd. annott. ad Tituli fragm.

OBOLOSTATES.

Obolostaten inter Afranii fabulas enumerat cum Christophoro Wasio Fabricius Bibl. Lat. IV. 1, Festum auctorem laudans. Commemoratur a Festo aliisque Caecilii Obolostates, non Afranii.

OMEN.

I.

Nonius p. 64 ed. Merc.: „Praeclavium, pars vestis, quae ante clavum texitur. Afranius in Homine:

Tertiúm diem praeclávium unum téxere.“

II.

Nonius p. 78 ed. Merc.: „Bacillum. — Afranius in Homine:

Bacillum delicatum corneolum poscit.“

in Homine. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. hominem. Bas. Homines. — delicatum. Par. delegatum. Vulgo deligatum, quod corrigens Bothius: „Baculum,“ inquit, „deligatum corneum quid sibi velle dicam, nescio; quid sit delicatus, facile intelligo. Plinius Hist. nat. 11, 45: Apud nos in laminas secta (cornua) translucent, atque etiam lumen inclusum latius fundunt; multasque alias ad delicias conferuntur etc.“ — poscit. Bothius: „Poscit versui non congruit; congruit antiquum procat, quod illo haud dubie sunt interpretati.“ Paucissimi apud Nonium reperiuntur loci, qui per interpretationem depravati esse videntur; et poscit congruit iamb. trim. claudo, cuiusmodi versus Afranium non fecisse, nondum est demonstratum neque potest demonstrari. Nihil facilius est, quam transponendis et permutandis vocabulis prorsus alia metra poëtis tribuere, quam quibus ipsi usi sint. Quare satius est, modo in aliquod metrum quadrent neve corruptela manifesta sit, ita verba servare, ut legantur. Fortasse etiam haec ex duobus versibus tracta sunt. Cf. Abductae fragm. III. ibique annotata.

III.

Nonius p. 96 ed. Merc.: „Datatim, id est, invicem dando. — Afranius in Homine:

Datatim uxorem ut ludas.

Pomponius in Adelphis: Quod ille dixit, quum datatim in lecto tecum lusi.“ Perottus Cornucop. v. Datatim: „Datatim ludere est mutuo coitu uti, quasi dare alteri, quod alter det sibi.“ Usitatius vero et proprie dicebant pila datatim ludere. Unde Taubmannus ad Plaut. Truc. IV. 1. 8 cum Palmerio in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 707, Afranii locum interpretatur uxorem tuam vulges, ut alter

interlocutor tamquam de pila loquatur. Quae interpretatio si vera esset, scribendum esset uxore pro uxorem. Videtur autem potius uxorem datatim ludere idem esse, quod cum uxore datatim ludere.

IV.

Nonius p. 218 ed. Merc.: „Purpurissum genere neutro. Afranius in Homine:

Cedo purpurissum.“

Ven. I. II. Par. Steph. non habent locum. — Plautus Mostell. I. 3. 104: „Tum tu igitur cedo purpurissum.“

V.

Nonius p. 359 ed. Merc.: „Offendere, invenire. — Afranius in Homine:

Ea mémoriter, quum vénero, tum cónfecta ut offéndam.“

Ea. Ven. I. II. Par. et. — tum versus gratia inserui. Verba enim ita sunt comparata, ut iamb. tetram. cat. prodant. — confecta. Ven. I. II. Par. confectam. — Memoriter confecta singulari ratione dictum est; idque significare videtur sine ulla alia, atque solius memoriae ope confecta.

VI.

Nonius p. 375 ed. Merc.: „Pariter, similiter. Afranius in Homine:

— Tibi
In utráque parte póllet et paritér potest.“

VII.

Nonius p. 421 ed. Merc.: „Cupido et amor idem significare videntur; et est diversitas. Cupido enim inconsideratae est necessitatis, amor iudicii. — Afranius in Homine:

— Amabit sápiens, cupient caéteri.“

Homine. Jun. marg. Omine. — In Ven. I. II. Par. non reperiuntur verba Afranius etc. Laudat autem poëtae verba allata, non addito fabulae nomine, Appuleius Apolog. 420, ubi nonnulli codd. pro amabit ostendunt amabis. Apud Servium porro ad Virg. Aen. IV. 194 haec exstant: „Cupidinem veteres immoderatum amorem dicebant. Afranius Neraria: Alius est amor, alius cupido; amant sapien-

tes, cupiunt caeteri." Pro Neraria Vossius coniecit Cinerario, Burmannus edidit Neaera. Quod autem ad verba, ex Afranio posita, attinet, Burmannus, probante Bothio, ei vindicat tantum ea, quae apud Nonium legimus. Neque sane est, quod dubitemus, quin Nonii scriptura verior sit; et videtur omnino Servii locus maxime turbatus. Certe probabile non est, Nonium, qui probaturus erat ex veteribus scriptoribus, discrimen esse inter amorem et cupidinem, si apud Afranium legisset Alius est amor, alius cupido, non haec quoque exscripturum fuisse. Neque titulo Neraria vel Neaera quidquam tribuerim; praesertim quum alibi nusquam apud hunc scholiastam, etsi aliquoties Afranius ab eo laudatur, fabularum Afranianarum nomina commemorentur.

VIII.

Nonius p. 518 ed. Merc.: „Derepente. — Afranius in Incendio —. Idem in Homine:

Atque ílle derepénte in iumentum éxsilit."

IX.

Nonius ibidem: „Et:

Conténdit oculos; dérepente abít celo."

In libris coaluerunt haec duo exempla, quae distinguenda esse primus vidit Lipsius Epist. quaest. V. 25, inter utrumque inserens Idem. Saltem scribendum erat Item; sed Et in talibus Nonio est usitatius. Mercerius ea distinxit asterisco, quem Bothius retinuit. — abit. Bentleius ad Horat. Epist. I. 1. 28, Both. abiit. — celo. Ald. Bas. coelo. Steph. Jun. caelo. Lips. Merc. Bentl. Both. celox. Ven. I. II. Par. haec exempla non habent. Mercerius e Lipsii coniectura edidisse videtur celox. Ad librorum autem scripturam, caelo vel coelo, propius accedit celo; quumque eam vocabuli formam etiam alibi, Isidor. Orig. XIX. 1, reperiamus, non dubitavi istud restituere. Firmatur igitur etiam quodammodo Isidori locus, unde nonnulli minus usitatam formam exturbarunt, hoc Afranii.

X.

Priscianus VI. 7. 36. p. 694 ap. Putsch.: „Ipsi pro ipsius. Afranius in Homine:

Ipsí me velle véstimenta dícito."

dicito. Unus cod. Krehl. dicite. — Cf. Suspectae fragm. X.

XI.

Priscianus X. 4. 24. p. 890 ap. Putsch.: „Scindo scidi. Vetustissimi tamen etiam sciscidi proferebant. — Afranius more antiquo dixit in Homine:

— Satís fortitér, Paulla, véstras
Scíscidistís colus."

Paulla. Libri depravate paulo. Both. palo.

Omen fabulam inscriptam fuisse censenti Bothio non possum quin adstipuler, quum fere legatur Afranius in Homine secundum medii aevi pronuntiationem; etsi aliter iudicarem, si demonstrari posset, verum vidisse Heringam Observatt. crit. XXIX. p. 257, quum incidit in opinionem, fuisse aliquam fabulam Graecam, quae inscripta fuerit Ἄνθρωπος. Hadr. Junio Elench. auctor. ad Non. p. 4 adeo placuit illud Homine, ut non solum, ubicunque ex Omine afferretur Afranii auctoritas, sed etiam pro Crimine sic scribendum putaret. In fragmentis prorsus nihil video, quod ad indagandum titulum faciat.

PANTALEUS.

I.

Charisius I. p. 95 ap. Putsch.: „Ambos. Terentius in Adelphis (V. 9. 5): Usque a pueris curavi ambos sedulo. — Idque Helenius Acron sic oportere dici in eadem Terentii fabula disputavit, Verriumque dicit errare, qui putat, hoc ambo dici debere. Indifferenter autem locutos veteres, uberiora dabuntur exempla. Afranius in Pantaleo:

Contémnes? inquit, Liber nátus est. Ita máter eius díxit
In Gállia, quum ambos émerem." —

Contemnes. Libri Contemnens (Contemnēs). Both. Contemnis. — emerem. Both. emo. — Gallia hic disyllabum est; ut nudius multaque alia, his similia, haud raro.

II.

Charisius ibidem: „Item idem in eadem:

Sed eccos ambos."

III.

Idem ibidem pergit: „Qui autem cum Helenio faciunt, hanc afferunt causam, quia omnis accusativus numeri pluralis, exceptis neutralibus et monoptotis, s littera finiri debet, quoniam et has ambas, ut doctas, pictas, hos item ambos, ut doctos, pictos, par erit dicere. Ambo. Afranius in Pantaleo:

— Revocás nos ambo ad proélium."

Pantaleus est nomen inauditum. Quare Hadr. Junius Elench. auctor. ad Non. p. 4 et Bothius suspicati sunt, pro Pantaleo scribendum esse Pantaleonte. Sed reputasse non videntur viri docti, Afranium esse togatarum scriptorem, cui, nisi certa testimonia id postulent, fabulam, Graeco nomine inscriptam, tribuere non liceat. Quid mihi sentiendum videatur de hac inscriptione, dicam ad Prosae fragmm.

PATELLA.

Priscianus III. 4. 22. p. 607 ap. Putsch.: „In timus desinit unum anomalum, optimus, et ab adverbiis sive praepositionibus derivata haec: intra interior intimus, ultra ulterior ultimus, citra citerior citimus. — Afranius tamen etiam positivum eius, citer, protulit in Patella, teste Aruntio." — Patella. Nonnulli codd. Krehl. et edd. Ven. patellea. Unus cod. Krehl. Patellecta.

POMPA.

I.

Charisius I. p. 77 ap. Putsch.: „Cliens communis generis. Invenimus tamen et clientam apud Afranium in Pompa:

Interim tua clienta."

II.

Nonius p. 111 ed. Merc.: „Fluctuatim, iactanter et solute. Afranius in Pompa:

— Tene tu! In medio némo est. Magnificé volo,
Flúctuatim, íre ad illum. Accípite hoc! Tege
tu et sústine."

ire ad. Par. adire. Fortasse scribendum adire ad, ut liquescat Fluctuatim. — Accipite. Ald. Bas. Steph. Jun. accipe. — Tege tu. Bas. Steph. Jun. tegmen tu; unde Taubmannus fecit tegmentum. — et sustine. Both. ac sustine. — Bothius explicat: „Tene videtur valere Tene seu Contine te, Tace. Verba Accipite hoc servis dicuntur, quibus ille togam tradit vel pallium, ut expeditior sit ad pugnam. Cf. interpp. Terent. ad Eun. 4, 6, 31. Tege, defende me.“ Crediderim potius, meretricem haec dicere ancillis, se parantem, ut splendido ornatu amatorem conveniat; quae opinio mihi etiam inscriptione Pompa firmari videtur. Apud Terentium Heaut. IV. 4. 17 meretrici haec dicuntur: „Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa eo traducenda est.“

PRIMUS.

Vid. Promi fragm. III.

PRIVIGNUS.

I.

Nonius p. 3 ed. Merc.: „Velitatio dicitur levis contentio, dicta ex congressione velitum. — Afranius in Privigno:

— Interea vérba iactare ét labris
Intér se velitári, velificárier.“

Privigno. Ven. I. II. Ald. Merc. privigna. — et labris Inter se. Lipsius Variar. lect. III. 15 inter se et labiis. — velitari, velificarier. Lipsius, a quo non discrepat Bothius, velitari. Carrio Emendatt. II. 16, probante Mercerio, velitarier. Carrio dicit, in codicibus et antiquis editionibus non reperiri velificarier; quod verum non est. Bothius cum Mercerio vocabulum pro interpretatione accipit. Equidem non intelligo, qui hoc vocabulum ex interpretatione oriri potuerit; et versus testis est, recte se habere vulgatam lectionem. Velificarier, vela intendere, sc. in adversarium, adversarium oppugnare.

II.

Nonius p. 21 ed. Merc.: „Caries est vetustas vel putrilago; unde cariceum veteres dixerunt. — Afranius in Privigno:

Nemo ílla vivit cárie curiósior."

curiosior. Sic Jun. marg., Gulielmius Verisimil. III. 8 e libro ms., Merc., Barthius Advers. XXI. 10, Both. Edd. ante Merc. cariosior, adversante metro. — Caries, senex vel anus, Bothio interprete.

III.

Nonius p. 28 ed. Merc.: „Flagriones dicti servi, quod flagris subiecti sunt; ut verberones a verberibus. Afranius in Vopisco: Tu flagrionibus * Privigno:

Iucúnditatis plús inest in té mihi,
Quam cómmercatis cónquisite edúlibus."

Mercerius: „Flagriones) sine dubio lacuna est. Et edulia in altero loco e Privigno Afranii observaverat, quae nota excidit." Lacunam etiam Junius animadverterat. — inest in te. Cod. Guelph. est in te. Ven. I. II. Par. est vitae. — conquisite recentiores offerunt ex Stephani emendatione. Ven. I. II. Par. consequite. Ald. Bas. Steph. conquisitae. — Pronuntiare haec videtur parasitus.

IV.

Nonius p. 33 ed. Merc.: „Serium, triste et quasi sine risu. M. Afranius in Privigno:

Non égo te novi trístem, acerbum, sérium?"

acerbum Jo. Val. Franckio debeo. Libri servum. Gulielmius Verisimil. III. 8 torvum, vel cum Stewechio saevum. Oudendorpius ad Appuleii Apolog. 413. p. 400. b. severum, quod optimum esset, si metro melius conveniret. Bothius edidit serum, facili quidem mutatione, sed, ut videtur, parum apta sententia. Acerbum, cuius loco fortasse antea secundum pronuntiationem monachicam scriptum fuit acervum, quod deinde in servum transiit, et sententiae et metro est accommodatissimum. Cicero ad Quint. fr. I. 1. 7: „Haec illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis temperaretur." Ovidius Trist. V. 8. 17: „Sed modo laeta manet, vultus modo sumit acerbos."

V.

Nonius p. 76 ed. Merc.: „Adquo pro quantum. Afranius — in Privigno:

Ni tántum amarem tálem tam meritó patrem,
Irátus essem, adquó liceret." —

tantum. Ven. I. II. Par. tuum. — Iratus — liceret. Sic Gulielmius Quaest. in Plaut. Aulul. I., Merc., Both. Cod. Guelph. et edd. ante Merc. miratus — licere. Gulielmius l. c.: „Dicit honestissimus adolescens, se nisi tam benignum patrem nimiopere amaret, irasciturum illi fuisse, et irae tamen temperamentum adhibiturum." Idem ibidem: „Afranius extulit adquo, quod nos usitatius quoad. non enim ea vox nova est, ut Nonius putavit, sed inversione novata."

VI.

Nonius p. 125 ed. Merc.: „Intolerabilis, id est, qui tolerari non possit. Afranius in Privigno:

— Quod si fecíssem paullo saépius,
Didicísset ferre et nón esse intolerábilis."

Didicisset. Cod. Guelph. Ven. I. II. Par. Ald. didicit esse is. Bas. Steph. didicisset id. Jun. Merc. didicisset is. Correxit Bothius.

VII.

Nonius p. 215 ed. Merc.: „Obsequium neutro genere habetur. — Obsequela feminino. Plautus in Asinaria (I. 1. 50): Qui mi auscultabunt, facient obsequentiam. Turpilius in Epiclero: Sed nequeo ferre hunc diutius errare et conqueri, nec esse suae obsequelae. Idem in Thrasyleonte: Quum interea nihil quidquam a me est praemii, neque erat tuae benignitatis atque obsequelae. — Afranius in Privigno:

Quam míhi sit grata illíus obsequéntia."

illius. Cod. Guelph. Jun. Merc. ipsius. — obsequentia. Bothius: „Ubique (apud Nonium) legitur obsequela, lapsu frequente librariorum, de quo cf. Plauti interpp. ad Asin. 50." In Plauti loco et Afranii scribendum esse metri gratia obsequentia, nemo facile negabit. Turpilii loci fortasse sic restituendi sunt:

— Sed nequeo férre, errare hunc díutius
Et cónqueri, non me ésse suae obsequéntiae.

Et:

Quum intérea nil quidquam á me est praemi, néque tuae
Benígnitatis érat atque obsequéntiae.

Bothius edidit:

— Sed nequeo ferre,
Diu hunc errare et conqueri, neque est tuae obsequelae.

Et:

Cum interea nil quidquam est a me neque erat tuae
Benignitatis praemi atque obsequentiae.

Certe in omnibus exemplis idem vocabulum est restituendum. — In Ven. I. II. Par. haec desiderantur.

VIII.

Nonius p. 219 ed. Merc.: „Paratus generis masculini, paratio feminini. Afranius in Privigno:

Siléntio opus est; núlla inest parátio."

IX.

Nonius p. 235 ed. Merc.: „Aequales — aequaevi. — Afranius in Privigno:

— Novi amícum atque aequalém meum."

X.

Nonius p. 246 ed. Merc.: „Auscultare, videre, spectare. Afranius in Privigno:

— Videt ludos; hínc auscultaví procul."

Videt. Jun. marg. video. Merc. in annott. Vide ut. Both. Vidi et. Et sententiae et metro optimum esset: A. Vidisti ludos? B. Hinc etc.

XI.

Nonius p. 308 ed. Merc.: „Frigit correpta prima syllaba significat erigit. — Frigere et frigutire est cum sono subsilire. — Afranius in Privigno:

Occásionem nácta mulier ínvolat
In cóllum, plorat, órat; occurrít nepos
Pausíllus; neptis pórro de lectó frigit."

Occasionem nacta. Sic Merc. in annott., Oudendorpius ad Appuleii Metam. VI. 116. p. 398. a., Bothius. Edd. ante Merc. Occasione certa. Merc. Occasionem cartha. Oudendorpio teste in libris mss. pro nacta est carta vel cartha. Bothius: „Scriptum forte canta pro nacta, sicut alibi geret pro reget et similia, in hoc porro degenera-

vit.“ — In praepositionem Oudendorpius secundum plures libros mss. et nescio quas antiquas edd. expungendam opinatur, quam metri gratia servandam esse apparet. — occurrit. Both. adcurrit, quod non est necessarium. Saepius etiam occurrere idem fere valet, quod accurrere vel accedere. Caesar de Bello Gall. IV. 26: „Pugnatum est ab utrisque acriter; nostri tamen, quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex navi, quibuscunque signis occurrerat, se aggregabat, magno opere perturbabantur.“ Livius XXXIX. 6: „Jam consularium comitiorum appetebat tempus; quibus quia M. Aemilius, cuius sortis ea cura erat, occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit.“ — Pausillus. Steph. Jun. Pauxillus. Jun. marg. Pusillus. „Pausillus,“ inquit Mercerius, „antiqua scriptura est pro pauxillus.“

XII.

Nonius p. 333 ed. Merc.: „Lustra etiam lupanaria dicuntur. — Afranius in Privigno:

Uxórem quaerit fírmamentum fámiliae:
Sciás, abesse ab lústris ingeniúm procul.“

ab lustris. Sic Ven. I. Merc. Both. Codd. Merc. ab in lustris. Ven. II. ab illustris. Vulgo ab iis lustris.

XIII.

Nonius p. 342 ed. Merc.: „Mactare malo afficere (Mactare malo malo afficere?) significat. — Afranius in Privigno:

'A fulica perísti paene. Dí te mactassínt malo!“

peristi paene Both. Vulgo paene peristi, imperfecto versu. — In Ven. I. II. Par. desiderantur Afranius etc. — A fulica, ὑπὸ πώϋγγος.

XIV.

Nonius p. 352 ed. Merc.: „Numero significat cito. — Afranius in Privigno:

Número inepti pértimuistis cássam terriculam ádversarî.“

pertimuistis. Ven. I. II. Par. pertimuisti. — Numero in hoc Afranii loco videtur esse nimium cito. Cf. Simulantis fragm. IX. et Suspectae IX.

XV.

Nonius p. 407 ed. Merc.: „Tenacia, parsimonia. Afranius in Privigno:

Vixísti tristis, dúrus, difficilís, tenax.“

tristis perperam omittunt Ald. et Jun.

XVI.

Nonius p. 409 ed. Merc.: „Triste, severum. C. Afranius Privigno. * de officiis libro primo (Cic. de Off. I. 30): In eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior.“ C. Afranius etc. Sic Merc. Ed. Jun. Afra. Privigno: M. Tull. de offi. etc. In antiquioribus edd. haec non exstant. Mercerius: „Afranius Privigno) locus deest; omissa integra linea ab exscriptore negligentissimo. potes supplere ex ipso Nonio (fragmm. IV. XV.):

Vixisti tristis, durus, difficilis, tenax. Item:
Non ego te novi tristem servum serium?“

XVII.

Nonius p. 434 ed. Merc.: „Profesti et festi dies discernuntur sic: profesti sunt a festivitate vacui. Afranius in Privigno:

Quae festi facere nos solemus die, cotidiano opere promiscit omnia, aeque profesto concelebras focum.“

Sic haec edidit Mercerius, in annotatis festo scribi iubens pro festi. Steph. festis. Jun. festivo. — facere nos. Ven. I. II. Par. facere. Ald. Bas. Steph. Jun. nos facere. — die. Par. Ald. Bas. Steph. de. — promiscit. Ven. I. II. promiscuet. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. promiscue. Jun. marg. promisces. — omnia omittunt Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. — aeque. Ald. Bas. Steph. atque. — profesto. Ven. I. II. profecto. — Apud Festum v. Profesti dies, Fragm. p. 19 ed. Dacer. haec exstant: „Profesti dies di(cti, quod sint procul a religione nominis) divini. Caecilius in . . . (quod facimus profesto, feci)sti tantundem (festivo die. item Afranius) in Privigno. ae(que profesto, contra cum celebras).“ Uncinis inclusa a Fulvio Ursino sunt expleta. Scaliger ad h. Festi l. corrigit:

Quae nos solemus facere festivo die,
Quotidiano opere promisces omnia.
At quae profesto, contra: cum celebras focum.

Pari ratione Bothius, mutato tantum promisces in permisces et cum celebras in concelebrans. Quae ut ad metrum optima sint, tamen dubitandum videtur, num Afranius festivo die dixerit pro festo die. Nam etsi manifestum est, festivum derivatum esse a festo, tamen non quivis dies festus etiam festivus est, sicut non omnes festivi dies etiam festi sunt. Dies festus tantum indicat aliquod tempus, ubi vel sacrificia fiunt vel ludi instituuntur vel aliud quid celebratur; dies festivus is est, qui hilarius et iucundius, quam caeteri, transigitur. Qui futuri sint dies festi, semper scimus; qui futuri sint dies festivi, saepe ignoramus; quoniam illi legibus sunt constituti et ad totum populum pertinent, hi occasione vel paucis vel multis hominibus proferuntur. Propterea autem festivum, unde deducitur festivitas, hanc habet significationem, quod, ut recte observarunt, diebus festis omnia laetiora atque hilariora apparere solent. Hanc vero ob causam etiam fieri potuit, ut omnino dies festi festivi appellarentur; quod tamen num factum sit, dubium est, quia eius rei certa exempla, quod sciam, apud scriptores non reperiuntur. Recte tamen festivitatem pro celebratione festi ponas. Cf. Lexica. In Afranii loco illud festivo die incertius redditur etiam eo, quod Nonius scripsit Profesti et festi dies discernuntur etc. Nam hoc unum tantum affert exemplum, et, si ibi legisset, quod restituendum putant, probabile est, eum scripturum fuisse Profesti et festivi dies etc. Porro vocabulum aeque, quod apud Festum quoque cognoscimus, exturbandum non videtur. Totum autem locum sic fere scribendum arbitror:

Quaequaé festo solémus facere nós die,
Quotídiano pérmisces opere ómnia;
Aequé profesto cóncelebras focúm tuum.

Ad sententiam bene Mercerius: „Festo die concelebratur focus venerandis numinibus: profesto cotidianum opus fit, at hic promiscebat omnia, cotidianum opus festo die faciens, sacrum profesto.“ Caecilii versum apud Festum, quamvis dubitanter, sic restituas:

Quod fácimus profestó, fecisti tántundem festó die.

XVIII.

Nonius p. 488 ed. Merc.: „Vulgariam pro vulgarem. — Afranius in Privigno:

Dehinc témeritatem répudio vulgáriam.“

XIX.

Nonius p. 493 ed. Merc.: „Poëmatorum pro poëmatum. Afranius in Privigno:

Poëmatorum non bonorum."

XX.

Nonius p. 503 ed. Merc.: „Fervit pro fervet. — Afranius in Privigno:

Hoc pótius: hoc nunc férvit animus; hóc volo."

Afranius in Privigno. Ven. I. II. Par. Pompo. in privigno. Sed ibi linea excidit. — nunc. Ven. I. II. Par. naturae. — animus; hoc. Sic Jun. marg. Merc. Both. Edd. Ven. I. II. Par. auris hoc. Ald. minus, hoc. Bas. Steph. Jun. minus, haec.

XXI.

Nonius p. 512 ed. Merc.: „Duriter pro dure. — Afranius in Privigno:

Viváx vetus quam dúriter nunc cónsulit o tergó meo!"

Vivax. Junius legendum putat bibax. — quam. Ven. I. qua. — consulit o. Ven. I. II. Par. consulto. Ald. Bas. Steph. Jun. consulito. Merc. Both. consulo. Junius coniecit consulis.

XXII.

Nonius p. 513 ed. Merc.: „Hilare. — Afranius in Privigno:

— Et própter patruelém tuam
Constítuit hilare anhélans, deiectá coma."

hilare anhelans. Ven. I. II. Par. anhelans hilare. — Constituit. Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 853, Ut constitit. — deiecta. Ven. I. II. Par. delecta. Both. disiecta, monens, disiici comas sive capillos. Quod quamvis verum sit, tamen etiam deiici coma dici potest. Tacitus Ann. XIV. 30: „Stabat pro littore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis in modum Furiarum, quae veste ferali, crinibus deiectis, faces praeferebant." In quibus contra codicum auctoritatem verba crinibus deiectis male turbantem Acidalium non defuerunt qui notarent. Caeterum etiam discrimen est inter comam dis-

iectam et deiectam. Coma disiecta est in diversas partes iacta, dispersa, dissipata; deiecta deorsum missa vel, ut interpretatur Ernestius, fluens, non collecta in nodum.

XXIII.

Festus v. Sexus, Fragm. p. 67 ed. Dacer.: „Sexus (Fragm. Secus) aliter significat sexu, natura habituque, ex Graeco, quam illi vocant ἕξιν. Afranius in Privigno sic ait:

Orbús virili séxu adoptavít sibi."

virili sexu. Steph. cum antiquioribus edd. virilis sexus. Scaliger virile sexu. Both. virile secus. Apud Festum Scaliger scribendum putavit: Sexus, aliter sexu, natura habitusque etc.; Dacerius: Sexus aliter sexu, significat naturam habitumque etc.; Bothius: Secus Aliter significat et Sexum, naturam habitumque etc. Sed est locus interpunctione sanandus: Secus aliter significat. Sexu, natura habituque etc. Perperam hic duo lemmata in unum coaluerunt. In Afranii autem versu ad adoptavit intelligendum est adolescentem.

Quod ad argumentum attinet fabulae, rixam fuisse inter vitricum et privignum coniicio ex fragmm. I. II. IV. VI. XV. XXI.; et oppositum fuisse privigno, male morato, filium adoptatum, bene moratum, tum ex his, tum ex V. VII. XII. XXIII. Caeterum titulus monet de Titinii Privigna, quae fortasse ansam dedit Afranio Privigni scribendi.

PRODIGUS.

Nonius p. 396 ed. Merc.: „Sufferre significat dedere vel supponere. — Afranius in Prodigo:

Nam mé pudet, ubi mécum loquitur Númerius:
Aliquíd si suffero, Graéce irridet me íllico."

pudet. Merc. pudet id. Both. id pudet. — Aliquid si suffero. Libri aliquid suffero. Both. aliquid subferre. — Verbum sufferre apud Afranium non recte interpretari videtur Marcellus dedere vel supponere: videtur potius esse proferre, pronuntiare.

Prodigus titulus in memoriam nobis revocat Ἄσωτον Antiphanis Caeciliique Asotum. Cf. annott. ad Epistulae fragmm. in fine; item ad Proditi reliquias.

PRODITUS.

I.

Festus v. Remeligines, Fragm. p. 43 ed. Dacer.: „Remeligines et remorae a morando dictae sunt — ab Afranio in Prodito:

Remelígo a laribus míssa sum huc, quae cúrsum cohi(beám tibi)."

huc. Legitur hanc, quod post Stephanum correxit Fulv. Ursinus, qui, metro refragante lacunam explevit scribendo cohibeam navis. Stephanus tantum cohibeam coniecerat. Dacerius cum Ursino facit, vel scribendum putat huic quae cursum cohibeam navi. Bothius transponens edidit huc, quae cursum navis cohibeam. Dici haec videntur homini, cuius rationes conturbatum ille venit; ut optime in sententiam quadret tibi.

II.

Priscianus III. 7. 43. p. 618 ap. Putsch.: „Homo homuncio, senex senecio. Afranius in Prodito:

Tu sénecionem hunc sátis est si servás anus."

Prodito. Unus cod. Krehl. Prodico. Edd. Colon. Bas. Ald. Krehlio teste Proclito. — servas. Krehl. servat, errore typographico, ut videtur.

III.

Virgilii interpretes veteres, quos primus edidit Angelus Maius, ad Aen. X. 564: „Tacitis regnavit Amyclis. — Amyclis ex proverbio veteri sumptum est, cuius Afranius meminit in Prodito:

— Déliberátum est
Nón tacere ámplius:
Amýclas tacéndo perísse audió." —

Manifesto haec pronuntiat prodituras.

Stephanus suspicatus est, Prodigum et Proditum eandem esse fabulam, ut ubique in locis allatis aut Prodigo aut Prodito scribendum sit. Facilius mutare liceret Prodigo, quod semel tantum, quam Prodito, quod tribus locis legitur; etsi ex Proditi fragm. III., quod latuit Stephanum, non appareret, hunc titulum non esse depravatum. Dubito

tamen, num hoc unum, quod alibi non commemoratur fabula, sufficiat statuendo, titulum, qui per se est optimus, mutandum esse; licet mutatio sit facillima. Diximus ea de re ad Attae Materteram vel Materteras.

PROMUS.

I.

Nonius p. 76 ed. Merc.: „Adquo pro quantum. Afranius in Promo:

Ut scíre possis, ádquo te expediát loqui."

Cf. Privigni fragm. V.

II.

Nonius p. 111 ed. Merc.: „Fuam, sim vel fiam. — Afranius in Promo:

— Cave, ne péndeas,
Sí fuas in quaéstione." —

III.

Festus v. Tentipellium, Sched. p. 92 ed. Dacer.: „Tentipellium Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur; indeque Afranium dixisse in Promo:

— Pro manibus crédo habere ego íllos tentipéllium."

Promo. Fulv. Ursinus alios Primo legere dicit; et Stephanus ea quoque fragmenta, quae apud Nonium ex Promo laudantur, sub Promi vel Primi nomine posuit. Non est autem quod dubitemus, quin fabula inscripta fuerit Promus, quod et per se aptius videtur, et maiore nititur auctoritate.

PROSA.

I.

Nonius p. 450 ed. Merc.: „Gannire quum sit proprie canum, Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit. — Etiam humanam vocem nonnulli gannitum vocaverunt. Afranius in Prosa:

Ganníre ad aurem núnquam didici." —

Prosa. Ven. I. II. Par. Persa. Ald. Bas. Steph. Rosa. —

Apud Isidorum de Different. verb. C. 86. T. V. p. 13 ed. Areval., non addito fabulae nomine, ex Afranio haec laudantur:

Non súm tam criminósa, quam tu, vípera:
Ganníre ad aurem núnquam didici dóminicam.

Pro criminosa legitur etiam criminosus, pro quam tu depravate etiam quantum, pro dominicam etiam domini. Barthius Arevalo teste in libro ms. etiam vituperas invenit pro vipera; quod non est pessimum. Idem Barthius Advers. XXXIX. 6 gannientem ad aures bene interpretatur occulte criminantem. Indicat autem hoc fragmentum rixam inter servas vel inter servum et servam.

II.

Isidorus Orig. XX. 2. 24: „Taxea lardum est, Gallice dictum. Unde Afranius in Rosa:

Gallúm sagatum píngui pastum táxea."

Rosa. Sic vulgo. Sed exhibent hic quoque editores in annotatis variantem lectionem Prosa. In nonnullis editionibus, velut ap. Gothofr., et in Forcellinii aliisque lexicis ling. Lat. v. Taxea legitur In rosa gallum etc., quod non esset ineptum, nisi poëta etiam alibi Rosam vel Prosam fabulam scripsisse diceretur. Nam in rosa est rosis coronatum. Vidd. Cicero de Finib. II. 20; Horat. Od. I. 5. 1. — sagatum. Pro eo apud Gothofredum aliosque legitur saginatum, quod, quum ex interpretatione additum putaret, Bothius male expunxit.

III.

Festus v. Reses, Fragm. p. 45 ed. Dacer.: „Reses et residuus dicitur ignavus, quia residet. — (Afranius in) Rosa:

Praetere(a resides multi.)" . . . .

Uncinis inclusa debentur Fulvio Ursino.

Prosam vel Rosam, unde vulgo haec fragmenta laudantur, quid sibi velle dicam, nescio; nisi forte statuendum est, nomen sumptum esse a Prosa dea, de qua Gellius XVI. 16: „Quando (pueri) contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, aegriusque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia arae

statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postverta nominata est, Prosa altera, a recti perversique partus et potestate et nomine." Sed verius mihi videtur, quod exstat, in Nonii edd. Ven. et Par., Persa; atque ex huius fragm. II. Pantaleique I. et ipsis inscriptionibus coniicio, unam eandemque hanc fuisse fabulam, in qua Persa, cuius nomen fuerit Pantaleus, prodiret. Fortasse aliquis se Persam esse simulabat, qui emisset Gallum, quem venditurus esset; ut in hac re fabula aliquid similitudinis habuerit cum Plauti Persa. Pantalei nomen inde tractum videri potest, quod Panthialaei erant Persiae populus teste Herodoto I. 125. Fortasse etiam apud Charisium scribendum est Panthialaeo, ut hoc et Persa idem significet. Si vero ita scribendum sit, ab Afranio ipso profectus sit titulus Panthialaeus, cuius loco, quae appellatio esset usitatior, ab aliis positum sit Persa. Pro certo autem illud habeo, non duas has fuisse fabulas.

PURGAMENTUM.

Nonius p. 515 ed. Merc.: „Superbiter. Afranius in Purgamento:

Illa superbiter imperat."

Purgamento. Junius voluit Pantaleonte, quod nihili est. Cf. annotata ad Pantaleum. Purgamentum significare potuit piaculum, piamentum, quod non ineptum est comoediae nomen. Minime tamen male, Bothio quidem iudice, Lipsius Epist. quaest. V. 25: „Non alias mentio fabulae Purgamenti, nec arbitror scripsisse Afranium. Legerim potius, Afran. Privig. Amanti illa s. i. Privignus Afranii saepe laudatur."

REPUDIATUS.

I.

Nonius p. 514 ed. Merc.: „Humanitus pro humaniter. — Afranius in Repudiato:

— Quánto fácilius
Égo, qui ex aequo vénio, adducor férre humana humánitus."

ex aequo. Ven. I. II. Par. Ald. Jun. ex equo. Bas. Steph. equo, omisso ex. — Recte Bothius: „Qui ex aequo venio μεταφορικῶς dictum pro eo, quod est qui similis sum

sortis, seu conditionis.“ Nam ex aequo est pari ratione. Livius XXXIX. 37: „Si societas et amicitia ex aequo observatur.“ Ovidius Metam. IV. 62: „Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.“ Sed perperam in ed. Merc. apud Nonium exstat Humaniter pro eo, quod ex antiquioribus edd. dedimus, Humanitus pro humaniter. Adverbii humaniter exempla Marcellus initio capitis proposuit. Turpilii versus, quem laudat Nonius l. c., sic est legendus:

Quare ésse dicat quísquam illum hominem aut quídquam facere humánitus?

II.

Charisius II. p. 186 ap. Putsch.: „Occulto, ut falso. Afranius in Repudiato:

Age, curre cursim ad Numisium occulto!“

III.

Charisius II. p. 187 ap. Putsch.; „Officiose. Afranius in Repudiato:

— Te istuc fácere officiosé scio.“

IV.

Charisius II. p. 191 ap. Putsch.: „Pauxillo prius. Afranius in Repudiato:

Pauxillo prius me convenit.“

Cf. Emancipati fragm. XI. Secundum Donatum ad Terent. Phorm. I. 1. 3 pauxillum est deminutivum deminutivi paullulum. „Pauxillulum,“ inquit, „quartus gradus diminutionis: paullum, paullulum, pauxillum, pauxillulum.“

V.

Charisius II. p. 195 ap. Putsch.: „Secius pro minus. Afranius in Repudiato:

— Pérdit ingens ímbecillitás tua
Mé, quo seciús me colligam.“ —

tua Me quo — colligam. Bas. Steph. tuam aequo — colligant ceciderit. Vocabulum ceciderit huc irrepsit e sequente exemplo.

VI.

Charisius ibidem: „Sequius. Idem in eodem:

Sín, id quod non spéro, ratio tális sequius cécíderit.“

De sententia probabiliter Bothius: „Talis feliciter iactis ille rationem, h. e. rem, quam molitur, non minus bene casuram sperat."

VII.

Festus v. Repastinari, Fragm. p. 45 ed. Dacer.: „Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cuius natura mutatur fodiendo, quum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus, vel pecoribus herba vel hominibus satione. — Afranius in Repudiato:

Repastina serati senex fugis."

Haec mendosa sunt. Turnebus Advers. XIII. 25 et Fulvius Ursinus scripserunt: Repastinare sero tu senex fugis; Scaliger: Repastinasse ratus sentes fugis, vel: Repastinatus crati sentices fugis; Dacerius: Repastinasse ratus tu senex fugis; Bothius: Repastina, sere, Atti: sic senex fuas, in quibus ingeniosum est sere, Atti, quo recepto legerim:

Repástina, sere, ′Atti, dum senéx fugis.

Dum, i. e. donec, librariorum incuria exciderit. Fugis sc. hunc laborem.

VIII.

Festus v. Sexagenarios, Fragm. p. 67 ed. Dacer.: „Vanam autem opinionem de ponte Tiberino (de eo olim deiectos esse sexagenarios) confirmavit Afranius in Repudiato." De senibus depontanis vide ipsum Festum eiusque interpretes.

In reliquiis nihil est, quod argumentum fabulae prodat; sed fortasse ex inscriptione suspicari licet, similem rem in Repudiato tractatam esse, ut in Menandri *Μισουμένῳ*, ubi miles puellae, quam deperibat, odio erat. Nisi cum maiore etiam probabilitate statuas, expressam esse hanc togatam ex *Ἀπελαυνομένῳ* Nicostrati.

R O S A.

Vid. Prosa.

SELLA.

I.

Gellius XIII. 8: „Eximie hoc atque verissime Afranius poëta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est, quod eam filiam esse usus et memoriae dixit. Eo namque argumento demonstrat, qui (si quis?) sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus communibus noscendis periclitandisque, eaque omnia acta et eventa firmiter meminisse, et proinde sapere ac consulere ex his, quae pericula ipsa rerum docuerint, non quae libri tantum ac magistri per quasdam inanitates verborum et imaginum, tamquam in mimo aut in somnio, delectaverint. Versus Afranii sunt in togata, cui Sellae nomen est:

Usús me genuit, máter peperit Mémoria;
Sophiám vocant me Gráii, vos Sapiéntiam."

mater peperit. Cod. Guelph. mater me peperit, invito metro. — Sophiam. Steph. Σοφίαν. — Joannes Sarisberiensis de Nugis curial. IV. 6: „Philosophi veteres imaginem Sapientiae prae foribus omnium templorum pingi et haec verba scribi debere censuerunt: Usus me genuit, peperit Memoria; Sophiam me vocant Graii, vos Sapientiam." Videntur haec ex prologo desumpta esse ipsique Sapientiae prologi partes tributae fuisse.

II.

Macrobius Saturn. II. 16 de ficuum generibus agens ita pergit: „Quid? quod ficum tamquam non pomum secerni a pomis apud idoneos reperimus? Afranius in Sella:

Pomum, olus, ficum, uvam."

Sella. Stephanus annotavit, in vulg. edit. legi Selia. Sed hodie vulgo legitur Sella, ut apud Gellium. — uvam. Steph. uva. — Pomum, malum.

SIMULANS.

I.

Nonius p. 124 ed. Merc.: „Icit significat percutit, ab ictu. — Afranius in Simulante:

Offéndit, frangit, rúmpit, icit póculo."

in Simulante: Offendit. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. Simulantem offendit. — frangit. Sic Jun. Vulgo regit, cuius loco Bothius scripsit repit, putans, describi hominem, in tenebris ambulantem; malitque etiam pocula pro poculo. At videtur potius describi aliquis, poculo saeviens et in praesentes impetum faciens. Frāgit transierat, ut opinor, in fregit, unde, omissa prima littera, factum est regit.

II.

Nonius p. 246 ed. Merc.: „Auscultare, audire. Afranius in Simulante:

Nae ego íllos velitántis auscultó lubens.“

Nae suspicatus est Stephanus, ediderunt recentiores. Antiquiores ne. — velitantis Merc. et Both. ediderunt, quod fluxisse videtur ex emendatione Junii, velitantes coniicientis. Olim vulgo vel tantis.

III.

Nonius p. 267 ed. Merc.: „Coniicere est iacere. — Afranius in Simulante:

Vellem, íntervenissem ánte. Nam, ut signa índicant,
Hi córniecere vérba inter sese ácrius.“

in Simulante. Par. Ald. simul aut. — intervenissem — coniecere. Ven. I. II. Par. intervenisse — coniicere. — sese Jun. Both. Vulgo se, metro non probante.

IV.

Nonius ibidem: „Coniicere, confligere, certare. — Afranius in Simulante:

Nolim mater me praesente cum patre
Coniicere non si me non vis mel meum.“

mater. Par. Ald. Bas. Steph. matri. — me praesente. Ven. I. II. Par. praesente, omisso me. — si me. Merc. sine. — mel. Ald. Bas. Jun. vel. — Mercerius tentabat, adstipulante Broukhusio ad Tibull. I. 9. 53: Noli mater me p. c. p. C., non, si me vivum vis, mel. m.; Bothius: Te nolim m. me p. c. p. C.; nunc sine, etsi non vis, mel m. In illo minus placet non; hoc languet. Scribendum arbitror:

Nolí, mea mater, mé praesente cúm patre
Coniícere, si morí me non vis, mél meum.

V.

Nonius p. 496 ed. Merc.: „Veteribus genitivum pro accusativo poni placet. Afranius in Compitalibus —. Idem in Simulante:

— Tui

Verétur: me ad te mísit oratúm pater."

in Simulante. Ald. Bas. simula. — pater. Libri peteret, unde Mercerius simpliciter fecit pater; Bothius pater et, vocabulum et ad sequentia apud Nonium trahens: oratum pater. Et idem in Emancipato, idque eo probabilius est, quod antecessit Idem in Simulante. Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 724, inepte illud mutavit in betere. — In Ven. I. II. Par. desiderantur verba Idem in Simulante etc.

VI.

Nonius p. 510 ed. Merc.: „Saeviter pro saeve. Plautus in Poenulo: Aha tam saeviter. Idem in Trinummo: Ah nimium, Stasime, saeviter. Attius in Astyanacte: Ferum feroci contundendum imperisit saevum saeviter. Ennius in Phoenice: Saeviter suspicionem ferre falsam, futilum est. Afranius in Simulante:

Saéviter ferre haéc te simula et gnátam ab illo abdúcere."

in Simulante. Par. Ald. Simulanter. — Saeviter. Par. Ald. Bas. Steph. Saevum. Jun. Severiter. Haec varietas lectionis inde nata est, quod postrema verba loci, ex Attio allati, perperam in novum lemma transierant: Saevum pro saeviter; unde Junius fecit Severiter pro saeviter, in exemplis quoque sequentibus scribens severiter. Edd. Ven., licet et ipsae habeant illud Saevum pro saeviter, tamen in exemplis allatis offerunt saeviter. Omnino autem Attii locus, quem vario modo tentarunt viri docti, sic scribendus videtur:

Ferúm feroci cóntundendum império, et saevum saéviter.

haec. Ven. I. II. Par. hoc. — simula et. Sic cum Merc. Bothius. Ven. I. II. Ald. Bas. Steph. simul et. Jun. simul ac; indeque Gulielmius Quaest. in Plaut. Bacchid. V. simula ac.

VII.

Cicero pro P. Sextio LV.: „Quum ageretur togata,

Simulans, ut opinor, caterva tota clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens, concionata est:

Huic vitae tuae;

et:

VIII.

— Póstprincipia atque éxitus
Vitiósae vitae." —

Huic vitae tuae; et. Sic ed. Nauger. recentioresque. Ed. Hervag. huic vice * tua, omisso et; similiterque Gruteri codd. turbare Orellius annotavit. — Postprincipia. Lambinus post: Principia. Haud facile diiudicaveris, utrum praeferendum sit.

IX.

Festus v. Numero, Fragm. p. 10 ed. Dacer.: „Afranius in Simulante:

Ei mísera numero ac néquidquam egi grátias."

Ei misera Fulv. Ursino debetur. Cod. e misera. Olim edebant Enim sera, quam scripturam Dacerius praefert. Both. Hei, misera. — Numero, nimis celeriter, ut in aliis exemplis interpretatur Festus, qui hoc loco maxime laceratus et turpiter depravatus est. Cf. Privigni fragm. XIV. et Suspectae IX.

X.

Donatus ad Terent. Adelph. III. 4. 34: „Ut captus est servorum, id est, ut se habet conditio servorum. Afranius in Simulante:

Is, út servorum cáptus est, facíllume
Domo átque nostra fámilia pro vénditur.

Ergo captus sortem intelligo." Bothius: „Familia pro, ut sponsione pro apud Plautum Trin. 397 (II. 4. 26). Perperam libri provenditur." Etsi Plauti locus vario modo tentatus est, ut certo quidem argumento vix esse possit, tamen Afranii per se ita comparatus est, ut Bothius veram scripturam restituisse videatur.

Rixae in hac togota exercebantur inter uxorem et maritum (fragmm. II. III. IV. V. VI.), male moratum (fragmm I. VII. VIII.), quos inter ipsos conciliare studuit communis filius

(fragmm. IV. V.). Simulantis nomen fabula inde videtur accepisse, quod socer, quem pronuntiare arbitror fragm. III., filiam a marito se abducturum esse simulabat (fragm. VI.).

SORORES.

I.

Nonius p. 186 ed. Merc.: „Vescum, minutum, obscurum. — Afranius in Sororibus:

At púer est vescis ímbecillus víribus."

imbecillus. Ven. I. II. Par. imbecillis. — Paullo aliter Junius Philargyrius ad Virg. Georg. III. 175: „Vescas, teneras et exiles. Nam vescum apud antiquos significabat macrum et quasi quod escam non reciperet. Afranius in Sororibus: Ah puer est vescus, imbecillus viribus." Verior autem videtur Nonii scriptura.

II.

Charisius II. p. 180 ap. Putsch.: „Hilariter ab eo, quod est hilaris; hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terentii Adelphis (II. 4. 23), ubi Terentius: Hilare hunc sumamus, inquit, diem. Sed et Afranius in Sororibus:

Nunc te óbsequentem, atque hílare, ut dixi,
praébeas."

Perperam in utroque exemplo editur hilarem pro hilare. Bentleius ad Terentii l. l., apud hunc defendens hilare, apud Afranium scribens hilaram: „Hodie quidem," inquit, „apud Charisium utrobique editum est Hilarem. Sed plane contra auctoris sententiam; qui haec exempla ideo adducit, ut Hilarus olim dictum esse probet; non ut Hilaris, quod in communi tum sermone erat." Similiter Bothius ad Afranii l.: „Libri hilarem; sed Charisius id agit, ut hilarus et hilare non minus quam hilaris et hilariter legi ostendat ap. scriptores: quare hic scribendum hilarum." Immo Charisius toto hoc capite de adverbiis agit, et hoc loco dicit, quomodo hilariter derivetur ab hilaris, sic hilare derivari ab hilarus, eiusque adverbii exempla ponit. Atque, et quidem. Plautus Mostell. III. 1. 18: „Dixi hercle vero, atque omnia." Terentius Eunuch. V. 3. 6: „Pyth. Amabo, quid

ait? cognoscitne? Chrem. Ac memoriter." Hilare, sine animi aegritudine, libenter. — Mendose etiam apud Stephanum exstat se pro te, et dixi pro ut dixi.

SUSPECTA.

I.

Nonius p. 6 ed. Merc.: „Exercitum dicitur fatigatum, dictum ab exercitio. — Afranius in Suspecta:

Ita, ut huic ero adolescenti, cui suspicium tradidit, qui me est animi exercitus."

Suspecta. Ven. I. II. Par. suspecti. — ero. Bas. Steph. hero. — suspicium. Par. Ald. Bas. Steph. Jun. suspirium. — Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 770, proponit:

Ita ut huic oro (ero?) adolescenti, ipsus spiritum
Cui tradidit, qui med est animi exercitus;

vel:

Ita ut huius hero, adolescenti. ipsa spiritum
Cui tradidi, qui mei est animi exercitus.

Qui med est animi exercitus interpretatur cuius ego animum exerceo, ut med sit auferendi casus; qui mei est animi exercitus, qui me animi exercet. Priorem scripturam amplexus est Taubmannus ad Plaut. Cistell. I. 1. 60, mutato tantum initio: Ita ut huic, ere, ad. Perinde Pareus in Lexico Plaut. v. Exercitus. Gronovius Observatt. I. 1. p. 11 sq., non adversans aliorum vulgatae explicationibus, praefert tamen qui mei est animi exercitus, caeteris non tactis. Barthius Advers. IV. 5 ex illo cui suspirium eruit qui sum (suum) spiritum. Bothius denique restituendum putat:

— Ita ut huic ero adulescentulo,
Cui suspectum (vel suspectam) tradidisti, qui (vel quae) me est animi exercitus.

Quarum coniecturarum numerum si augere licet, proponam:

Ita, ut huíc ero adolescénti, cui suspícionem trádidi,
Et quí me est animi exércitus. —

Cui suspicionem tradidi, quem ad suspicionem perduxi. Similiter locutus est Cicero Epist. ad fam. III. 12: „Vetus nostra simultas antea stimulabat me, ut caverem, ne cui suspicionem fictae reconciliatae gratiae darem;" et Corn. Nepos

Dat. X.: „Ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium eius petivit neque in conspectum venire studuit.“ Qui me est animi exercitus, qui me animi exercuit, ut explicat Mercerius, nonnullos similes locos afferens, id est, qui multum aegritudinis mihi attulit. Cf. Plauti interpp. ad Cistell. I. 1. 60.

II.

Nonius p. 39 ed. Merc.: „Ordiri est ponere, incipere. — Afranius in Suspecta:

Tamen me ánimo ordiri opórtet paulla paúllulum.“

Ordiri — ordiri. Cod. Guelph. Merc. Ordire — ordire; licet ibidem ex Attio afferatur: Non parvam rem ordibor. Ven. I. II. Ald. Ordiri — ordire; quod idem fuit in exemplari, quo Stephanus usus est. — Suspecta. Ven. I. II. Par. Suspecto. — me cod. Guelph. Merc. ponunt post oportet; caeteri ante oportet. Neutrum versui aptum est. Bothius:

— Tamen animo me ordire oportet p. p.

Paulla paullulum, hoc est, parva parvum, ut ait Bothius cum Palmerio in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 691.

III.

Nonius p. 103 ed. Merc.: „Extrarium, quasi alienum. Afranius in Suspecta:

Ut me ésse in hac re dúcat abs te extrárium.“

ducat. Ven. I. II. Par. ductat.

IV.

Nonius p. 174 ed. Merc.: „Sanctitudo pro sanctitas. — Afranius in Suspecta:

Tuam máiestatem et nóminis matrónae sanctitúdinem.“

V.

Nonius p. 185 ed. Merc.: „Villicari est rusticari vel villae praeesse. — Afranius in Suspecta:

In Arpínos iam, quantúm potis, explodam hóminem, ut villicétur.“

Arpinos. Cod. Guelph. horpinos. Merc. Orpinos. Ven. I. harpinos. — potis. Libri potes. Jun. aliique pote.

Both. potest. — explodam, exterminabo, propellam; non domo mittam, ut interpretantur Gulielmius Quaest. in Plaut. Amphitr. II. aliique.

VI.

Nonius p. 357 ed. Merc.: „Olim temporis futuri. — Afranius in Suspecta:

Núnc amatorem, ólim defensórem et patronúm volet.“

Nunc Mercerius in annott. et Bothius. Libri Non. — defensorem et patronum Mercerio debetur. Ven. I. II. Merc. defensore ut per eum. Par. Ald. Jun. defensorem per eum. Bas. Steph. defensorem per eam.

VII.

Nonius p. 466 ed. Merc.: „Lavare, quum sit eluere et emaculare et aquis sordida quaeque purgare, vetustatis auctoritas posuit etiam pro polluere. — Afranius in Suspecta:

— Viden' tu, lávere lacrumis mé tuum collúm, pater?“

Eadem ex eadem fabula etiam p. 504 v. Lavere ap. Non. laudantur. Sed pro Viden' tu libri utroque loco Vident ut vel Vident, quod emendavit Mercerius.

VIII.

Nonius p. 519 ed. Merc.: „Veterum memorabilis scientia paucorum numerum pro bonis ponebat; multos contra malos appellabat. — Afranius in Suspecta:

Nóli ex stultitiá multarum crédere esse animúm meum.“

IX.

Festus v. Numero, Fragm. p. 10 ed. Dacer.: „Afranius in Suspecta:

Perfálsum et abs te créditum numeró nimis,

celeriter.“ Perfalsum. Vulgo Per falsum. — In aliis exemplis Festus numero explicat nimium cito, nimium celeriter; hic tamen nimis recte trahi videtur ad versum, ut celeriter interpretatio sit vocabuli numero. Cf. Privigni fragm. XIV. et Simulantis IX.

X.

Priscianus VI. 7. 35. p. 694 ap. Putsch.: „Neuter — plerique neutri declinaverunt. Sed Plautus in Vidularia Neutri reddibo dixit dativum, cuius genitivus neutrius sine dubio est; quamvis vetustissimi soleant omnium in ius terminantium genitivum et in i dativum etiam in i genitivum et in o dativum in genere masculino et neutro, in feminino vero secundum primam declinationem in ae diphthongum proferre. — Ipsi pro ipsius Afranius in Homine —. Totae pro totius. Idem in Suspecta:

Adeo út te satias cáperet totae fámiliae."

Putschius, qui tamen ipse infra VI. 16. 82. p. 717, ubi idem Afranii versus exstat, recte edidit, et, quotquot inspexit Krehlius libros, typis exscriptos, omnes Toti pro totius et toti familiae offerunt; quod mendosum esse et Prisciani ipsius verba ostendunt et codices Krehlii, praeter Heidelbergensem, qui litura vel rasura corruptus est, confirmant.

Suspecta videtur fuisse puella adolescenti, cuius futurum erat ut fieret coniux. Fragm. I.

T A L I O.

I.

Priscianus V. 8. 44. p. 658 sq. ap. Putsch.: „Hic et haec et hoc penus, et hoc penum. — Afranius in Talione:

— Vos, quibu' córdi est intra túnicam
Manus laéva, dextra in pénum herile." —

Talione. Duo codd. Krehl. Taleone. Edd. Ven. Tolione. — Bothio versus visus est asynartetus, sic scribendus:

Vos, quibu' cordi est intra tunicam manu' laeva,
dextera in penum herile.

Fortasse autem ab interprete additum est manus, ut scribendum sit:

Vós, quibu' cordi est íntra tunicam laéva, dextera ín penum herile.

Verba In penum herile Priscianus infra VI. 14. 76. p. 713 ex Afranio, fabula non nominata, iterum laudat. — Bothius: „Laeva manus furtifica dicebatur: vide Plaut. Pers. 224 (II. 2. 44) et initium Epidici."

II.

Charisius I. p. 113 ap. Putsch.: „Penus, si masculinum sit, dicitur penûs, ut Careo tam pulchro penu; penus peni, si femininum; penoris, si neutrum sit, ut quidam putant. Hoc etiam penu et hoc penum Afranius dixit in Talione.“

TEMERARIUS.

Charisius I. p. 84 ap. Putsch.: „Simiam auctores dixerunt etiam in masculino, ut Afranius in Temerario:

— Quis hic est símia,
Qui me hódie ludificátus est?“ —

Temerarius Afranii fortasse fluxit ex *Θρασυλέοντι* Menandri, ex qua fabula Latinam suam cognominem expressisse Turpilium probabiliter statuunt. Alexis *Θράσωνα* scripserat.

THAIS.

I.

Nonius p. 516 ed. Merc.: „Restrictim pro restricte. Afranius in Thaide:

— Eaque sedére ferme mélius consultóribus,
Quám restrictim cógitata atque ómnibus ratiónibus.“

Restrictim — restrictim. Par. Restrictum — restrictum. — sedere ferme Both. Libri inverso ordine ferme sedere vel, ut Ven. I. II. Par. Jun. Merc., firme sedere. — consultoribus, Quam. Gulielmius Quaest. in Plaut. Bacchid. V. consultatoribus, Quae, explicans: „Ea demum consilia consultatori melius haerent et cedunt felicius, quae multum diuque cogitata et omni ratione agitata sunt.“ — atque omittit Bas. — „Sedere,“ inquit Bothius, „animo, memoriâ. Restrictim, subtiliter. Cic. de Leg. 2, 18: Cetera non tam restricte praefinio.“

II.

Ausonius in epistola, qua commendat Pacato proconsuli edyllium XII.: „Scio, mihi apud alios pro laboris modulo

laudem non posse procedere. Quam tamen si tu indulseris, ut ait Afranius in Thaide:

Maiórem laudem, quám laborem invénero."

Hanc togatam haud facile quisquam dubitabit quin composuerit Afranius ad imitationem Menandreae *Θαΐδος*, cuius magna fuit celebritas. Vid. Meinek. ad Menandri reliquias p. 73 seqq. et 566.

TITULUS.

Gellius X. 11 de verbo mature agens ita pergit: „Quum significandum autem est coactius quid factum et festinantius, tum rectius praemature factum id dicitur, quam mature; sicut Afranius dixit in togata, cui Titulus nomen est:

Áppetis dominátum demens praématúre praécocem."

Eadem repetita sunt apud Macrobium Saturn. VI. 8. — cui Titulus nomen est. Pro nomen legitur etiam *νόμος*, quod ex Ascensii coniectura in nonnullas editiones migrasse videtur. Pontanus inde coniecit Nomos vel Nomus (*νομός*), quod confirmari putat Afranii versu allato. In margine cod. Thysii Nomius offerri annotarunt. Sed in vett. edd. et codd. non modo Gellii sed etiam Macrobii testibus Gronovio et Alb. Liono praebetur nomen. Itaque putarunt nonnulli, fabulam inscriptam fuisse Nomen; quum alii, quibuscum consentimus, Titulum pro inscriptione acciperent. Probabilia de hac fabula mecum communicavit Jo. Valent. Franckius, qui Titulum et Auctionem tantum diversa nomina eiusdem togatae fuisse existimabat; ut Titulus hic idem significet, quod tabula auctionis apud Ciceronem de Leg. agrar. II. 25. De argumento haec fere sentiebat. Hominem, aliquo profectum, quum rediisset, ex tabula auctionis intellexisse, rem iam in eo esse, ut servus ipsius veniret, ad quem recuperandum, si venisset, ut ipsum adiuvarent, eum amicos hortatum esse pronuntiando:

— Adeste, si hac absente nobis venierit puer.

Instituisse vero auctionem uxorem illo absente invitoque: ita quidem referri posse ad summam fabulae verba:

Haud facul, ut ait Pacuvius, femina invenietur bona.

Auctionis fragm. III.:

Simul limen intrabo, illi extrabunt illico,

manifesto loqui regressum, qui in eo sit, ut adventu suo emptores propellat. Ac iam opinionem, Titulum fabulam diversam non fuisse ab Auctione, plus probabilitatis nancisci. Nam fragmentum eius:

Appetis dominatum demens praemature praecocem,

aptissime pronuntiare virum, uxori obiicientem, praemature eam ipsum mortuum credidisse et imperium domesticum sibi arrogasse; quumque dominatus secundum Donati definitionem ad Terent. Andr. I. 1. 9 κατ' ἐξοχὴν imperium servile sit, istud maxime hic aptum esse vocabulum, si servus vendendus fuerit. Sic porro etiam suspicari licere, Δύςπρατον Antiphanis et Epicratis, in qua fabula servus queritur de mulieribus (Athen. VI. p. 262. c.), servum esse, cuius venditioni hero intercedente impedimentum offeratur; indeque Afranium argumentum togatae suae petivisse. Veram autem inscriptionem, ab Afranio ipso profectam, esse arbitror Titulum. Neque enim intelligitur, qui pro Auctione poni potuerit Titulus; facile, quomodo Auctio pro Titulo, quoniam argumentum in auctione versabatur.

TOGATA.

Vid. Incertt. XXI.

VIRGO.

I.

Nonius p. 89 ed. Merc.: „Commetare, commeare. — Afranius in Virgine:

A. Quo tú commetas? B. Úbi confixus désides.“

Recte, ni fallor, Bothius haec inter duas personas divisit, interpretans: „Eo commeo, ubi tu sedes, te viso.“ Bentleius ad Terent. Heaut. III. 1. 35, significari putans ad meretriculam:

Quo tu commetas? ubi defixus desides?

II.

Nonius p. 124 ed. Merc.: „Insolum, insolitum. Afranius — in Virgine:

— Né veniret, quód nunc agitur, ín solum."

Ne veniret. Male Both. Ne eveniret, omittens interpunctionis signum post agitur, quum procul dubio coniungendum sit veniret — in solum, ut monuit Paullus Manutius ad Cic. Epist. ad fam. IX. 26. Fortasse autem et sententiae et versus gratia scribendum est Ne ei veniret. Cf. annotata ad Criminis fragm. I. — quod nunc agitur. Ven. I. II. Par. Bas. Steph. quod non agitur. Ald. quod agitur.

III.

Festus v. Molucrum, Sched. p. 80 ed. Dacer.: „Molucrum non solum, quo molae verruntur, dicitur, id quod Graeci μυλήκορον appellant, sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus solet evenire, cuius meminit Afranius in Virgine:

— Ferme vírgini
Excréscit uterus, támquam gravidae múlieri.
Molucrúm vocatur; tránsit sine dolóribus."

Excrescit uterus, tamquam gravidae mulieri. Sic Jos. Scaliger, Salmasius ad Solin. p. 17 a. E., Vossius Etymol. v. Molucrum. Olim legebatur Tam crescit uterus, quam gravidae mulieri. In ed. Dacer. est Tamquam gravidae mulieri crescit uterus. Unde Bothius Tanquam gravidatae m. c. u., deteriore quidem numero.

IV.

Festus v. Superescit, Fragm. p. 55 ed. Dacer.: „Superescit significat supererit. — Sed per se super significat quidem supra, ut quum dicimus Super illum sedit; verum ponitur etiam pro de, Graeca consuetudine, ut illi dicunt ὑπέρ. — Afranius in Virgine:

Alis de rebus in qua coepisti super."

Haec manifesto corrupta sunt. Alis pridem mutarunt in Aliis. — in qua Stephanus aliique omiserunt, Bothius mutavit in et qua. — Post super Fulvius Ursinus addendum putavit re, quod receptum est in ed. Dacer. Mihi in mentem venit:

Aliís de rebus; nón qua coepistí super.

Non scribebatur ō, in ī. Possis etiam:

Aliís de rebus; ní, qua coepistí super;

ut sic fere fuerit locus integrior:

— Narra etiam mihi
Aliis de rebus; ni, qua coepisti super,
Habeas, quod addas. —

Vel cum Jo. Valent. Franckio:

Aliís de rebus; sín, qua coepistí super.

Sed praestat perfectam sententiam amplecti.

V.

Festus v. Tuguria, Fragm. p. 77 ed. Dacer.: „Tuguria a tecto appellantur aedificia rusticorum sordida. Afranius in V(irgine:

Sordidum) tugurium est turpe."

Lacunam explevit Fulv. Ursinus. Sed possint haec etiam ad Vopiscum Afranii referri. Pro est turpe Dacerius malebat et turpe.

VI.

Macrobius Saturn. VI. 4: „Deductum pro tenui et subtili eleganter positum est (ap. Virg. Eclog. VI. 5); sic autem et Afranius in Virgine:

Verbís pauculís respondít tristis, vóce
Dedúcta; malléque se non quiévisse díxit."

quievisse trisyllabum est; nisi cum Bothio scribendum sit:

— Verbis pauculis
Respondit tristis, voce deducta, mihi;
Malleque se non quiesse dixit. —

Virgo fabula tribuitur etiam Livio Andronico, item Laberio; Virgo praegnans Novio. Afranii quoque Virginem fuisse praegnantem, colligas ex fragmm. III. VI. In simili igitur argumento ea versabatur, ac Menandri *Πλόκιον*, quam comoediam Latine reddidit Caecilius, et fortasse etiam Ararotis *Παρθενίδιον*.

VOPISCUS.

I.

Nonius p. 1 ed. Merc.: „Senium est taedium et odium; dictum a senectute, quod senes omnibus odio sint et taedio. — Nam aetatem malam senectutem veteres dixerunt. — Afranius in Vopisco:

Si póssent homines délenimentís capi,
Omnés haberent núnc amatorés anus.
Aetás et corpus ténerum et morigerátio,
Haec súnt venena fórmosarum múlierum.
Mala aétas nulla délenimenta ínvenit.“

Si possent. Aut Afranium male collegisse aut scribi debere Ni possent contendentem Casp. Schoppium Verisimil. II. 20 merito notat Broukhusius ad Tibull. I. 6. 7, monens, delenimenta hic poni pro philtris ac veneficiis amatoriis, ut apud Livium XXXIX. 11. „Dicit igitur Afranius,“ inquit, „Delinimentis et veneficiis amorem conciliari non posse: alioquin enim omnes vetulas habituras esse amatores. Vera philtra adolescentularum, ac formosarum, esse aetatis florem, et corporis venustatem, et mores ad omnem comitatem compositos. hisce rebus destitutas anus frustra sibi opem sperare a venenis.“

II.

Nonius p. 12 ed. Merc.: „Vestispici appellabantur vestium custodes servi, quod frequenti diligentia vestes inspiciant. — Afranius in Vopisco:

— Novi, non ínspecturam ancíllulam
Vespértino vestíspicam.“ —

Locus lubricus. inspecturam. Sic Stephano teste vetus codex, item Jun. marg. Edd. Ven. insciam. Par. inscientia. Vulgo inscituram. Gulielmius Quaest. in Plaut. Cistell. IV. inscitulam, quod probavit Mercerius, recepit Bothius. Franc. Goellerus ad Plaut. Trin. 252 cum aliis inscitam. — Vespertino, vespertino tempore, vesperi. Libri vespere et. Both. vestiplicam et.

III.

Nonius p. 28 ed. Merc.: „Mulierosi dicti mulierum appetentes. Afranius in Vopisco:

Homo múlierosus álio confert me íllico.“

In senarium haec revocavit Bothius, quum in libris sit confert me illico alio.

IV.

Nonius ibidem: „Flagriones dicti servi, quod flagris subiecti sunt; ut verberones a verberibus. Afranius in Vopisco:

Tu flagrionibus . . . . ."

Post flagrionibus nonnulla exciderunt. Cf. Privigni fragm. III.

V.

Nonius p. 40 ed. Merc.: „Tintinnire dicitur sonare; unde et tintinnabula sunt appellata. Afranius in Vopisco:

Tíntinnire iánitoris ímpedimenta aúdio."

Tintinnire. Sic cod. Guelph. e corr. et Jun. Vulgo Titinnire. — tintinnabula Jun. Cod. Guelph. Ven. I. II. Ald. Merc. titinnacula. Par. Bas. titinnabula. Jun. marg. tintinnacula. — Apud Festum v. Titinnire, Sched. p. 92 ed. Dacer., ex Afranio, fabula non nominata, haec ponuntur: „Ostiarii impedimenta tinnire (Sched. tintinnire) audio." „Quod frustra est," inquit Bothius, „cum Nonianae scripturae praefert Dacerius. Ceterum recte monet, ostiarii sive ianitoris impedimenta esse catenas, quibus constrictus excubabat. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 2, 7, 45."

VI.

Nonius p. 97 ed. Merc.: „Deamare, vehementius amare. Afranius in Vopisco:

Voluptátem capio máxumam, cruciári tua te cúlpa,
Qui dé te et de illa péssume, quam déamas, promerére."

Voluptatem. Cod. Guelph. voluntatem. — cruciari. Ven. I. II. cruciarii. — tua te. Ven. I. II. de tua. Par. te tua. — Qui de te et de. Cod. Guelph. ex emend. quid et et de. Ven. I. II. Par. qui det de. Ald. Steph. Jun. qui det et de. Bas. qui det culpa et de. Scaliger qui de te et. Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 724, quippe et de. — pessume — promerere. Ven. I. II. Par. Ald. Bas. Steph. pessuma — promere. Scaliger pessima — promeres.

VII.

Nonius p. 110 ed. Merc.: „Fidelitatem, id est, fidem. — Afranius in Vopisco:

— Id est intus áctum. Periit ópera nimirúm mea.
Ea áio fidelitátis." —

Id est intus actum. Ven. I. II. Par. Idem intus actum. Idem et Id est eodem compendio scribebatur Idē. Jun. I intro actutum, quod fluxisse videtur ex coniectura. Both. Id est, Actum intus. — Periit Both. Libri perit. — nimirum. Steph. nimium. — mea. Ea aio f. Ven. I. II. Par. mea ea animo f. Animo compendio scribebatur aīo; unde lectionis varietas. Jun. meae Fidelitatis. — Bothius explicat: „Ea aio fid., ea mihi videntur opera esse fidelitatis."

VIII.

Nonius p. 146 ed. Merc.: „Offendo, offensio. Afranius in Vopisco:

Quóque nunc offéndo semper nóstra sit malá procul."

Sic Bothius, qui: „Mala," inquit, „maxilla. Cavet iste sibi a colaphis." Libri Quoque nunc offendo saepe procul nostra sit mala. Mercerius: „Offendo) vide num scribendum sit, offedo, ut oscedo, frigedo, torpedo, mulcedo. Et in Afranio: quoq. nunc offedo aede procul nostra sit mala." Si ad analogiam fingere velles vocabulum, non offedo scribendum esset, sed offendedo, ab offendendo, ut absumedo, ab absumendo.

IX.

Nonius p. 217 ed. Merc.: „Partus masculini est generis. — Partitudo et partio feminini. — Afranius in Vopisco:

Nón dolorum pártionis véniet in mentém tibi,
Quós miserula pértulisti, ut pártum proiicerét pater?"

miserula Both. Libri misera, quod versui non sufficit. — ut p. proiiceret. Scribendum videtur ut p. proiecit, id est, quum p. proiiceret, quum causa exsisteret partionis. Cf. infra annotata. — In Ven. I. II. Par. haec non reperiuntur.

X.

Nonius p. 230 ed. Merc.: „Uterus masculino genere dicitur. Neutro — Afranius in Vopisco:

— Sédit uterum, nón ut omninó tamen."

XI.

Nonius p. 235 ed. Merc.: „Aequales sunt similes et ex aequo. Afranius in Vopisco:

— Équidem te nunquám mihi
Parasítum, verum amícum, aequalem atque hóspitem
Quotídianum et laútum convivám domi.“

Eadem ex Afranii Vopisco laudantur ap. Non. p. 337 v. Lautum pro elegans, suave. Equidem. Ven. I. II. Par. Ald. priore loco Et quidem. — lautum. Ven. I. II. Par. Ald. posteriore loco lautum et. Jun. utrobique lautum etiam. — convivam. Ven. I. II. Par. priore loco convivii. Ven. II. posteriore, Ald. priore, Merc. utroque loco ex codd. convivium, quod non absonum esse putat Mercerius veterem poëtam pro conviva dixisse. Bothius: „Ferrem combibium, συμπότην, qui usitate dicitur combibo, vel combibulum.“ Vix dubitare licet, quin vera scriptura sit convivam. — Quod ad sententiam attinet, arbitratur Bothius, alterum interlocutorem quaesivisse Qualem me voluisti? cui sic respondeatur. Possis etiam intelligere cognovi vel expertus sum.

XII.

Nonius p. 262 ed. Merc.: „Confidentia — temeritas, audacia. — Afranius in Vopisco:

Exclúdat uxor tám confidentér virum?
Non fáciet.“ —

XIII.

Nonius p. 280 ed. Merc.: „Dicere — promittere. — Afranius in Vopisco:

Igitúr quiesce, et quóniam inter nos núptiae
Sunt díctae, parcas ístis verbis, sí placet.“

quiesce, et deberi videtur Lipsio, qui illud coniecit Epist. quaest. V. 25. Ven. I. II. Ald. Bas. Jun. quiescet. Par. Steph. quiescit. — parcas. Ven. I. II. Par. per eas. Ald. Jun. pareas. Steph. non habet parcas etc.

XIV.

Nonius p. 362 ed. Merc.: „Proprium — significat perpetuum. — Afranius in Vopisco:

Di tíbi dent propria, quaécunque exoptés bona.“

quaecunque omittunt Ven. I. II. Par.

XV.

Nonius p. 427 ed. Merc.: „Priores et primores hanc habent diversitatem: priores enim comparativi sunt gradus, primores summae quaeque res. — Afranius in Vopisco:

— Apagesis
Clivúm tuum: animum in náribus primóribus
Vix pértuli edepol." —

Apagesis. Ald. Bas. Apage scis. — Clivum tuum. Ald. clivum tum. Jun. clientum. Mercerius edidit clivuntum, annotans, in codd. esse clivuntum vel clivantum. — Bothius: „Animum, vitam. Paene exanimatum ille se dicit ascendendo clivo, per quem ad domum interlocutoris perveniebatur."

XVI.

Nonius p. 433 ed. Merc.: „Morata, quod est morigera, et morosa hanc habent distantiam, quod morosa est contrariis et perversis moribus. Afranius in Vopisco:

Dum mé morigeram, dúm morosam praébeo,
Deinde áliquid dedita ópera controvérsiae
Concínno, laedo intérdum contuméliis."

Dum me morigeram. Libri Dum morigeram, omittentes pronomen me, quod et sententia et versus flagitat. Merc. in annott. Dum non morigeram. Both. Tum morigeram. — dum. Jun. marg. et dum. Both. tum. — Ven. I. II. Par. non habent Afranius etc. — Verba Deinde — Concinno ex eadem fabula ponuntur etiam p. 529 ap. Non. v. Opera, ubi antiquiores edd. offerunt Deinde quod vel Deinde id quod etc. Opera grammatico hic est occasio, facultas, opportunitas; sed apud Afranium dedita opera procul dubio est, ut fere, de industria. Videntur autem verba allata meretricis esse.

XVII.

Nonius p. 478 ed. Merc.: „Nutritur et nutricatur pro nutrit et nutricat. — Afranius in Vopisco:

Nam nutricatur oliva."

XVIII.

Nonius p. 490 ed. Merc.: „Tumulti pro tumultus. — Afranius in Vopisco:

Hém, quid hoc? Perií, pertimui! Quíd tumulti
exaúdii?"

XIX.

Nonius p. 493 ed. Merc.: „Effigia pro effigies. Afranius in Vopisco:

— Cuius te súscitat
Imágo, cuius effígia, quo gnatús patre?"

quo gnatus Both. Libri cognatus. Merc. in annott. quo natus.

XX.

Nonius p. 495 ed. Merc.: „Accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali. — Afranius in Vopisco:

Antíquitas peténda in principio ést mihi:
Maióres vestri incúpidiores líberum
Fuére." —

vestri. Jun. nostri. — Ven. I. II. Par. omittunt Afranius etc.

XXI.

Nonius p. 497 ed. Merc.: „Accusativus vel nominativus positus pro ablativo. — Afranius in Vopisco:

Tandem út possimus nóstra fungi múnera."

XXII.

Nonius p. 502 ed. Merc.: „Accusativus pro dativo. — Afranius in Vopisco:

— Male meréntur de nobís heri,
Qui nós tantopere indúlgent in pueritia."

nos. Ven. I. II. Par. Ald. Steph. non.

XXIII.

Nonius p. 505 ed. Merc.: „Fervitur pro fervit. Afranius in Vopisco:

Quánta vociferátione férvitur! Hei miseraé mihi!"

Quanta vociferatione. Ven. I. II. Par. Ald. Quanti vociferati omne. — fervitur. Bothius: „Dubito de fide eius formae, malimque sane fervit." Fortasse fervitur similiter hoc loco usurpatum est, ut interdum itur, statur aliaque eius generis.

XXIV.

Charisius I. p. 89 ap. Putsch.: „Omnia, quae per ter nominantur, in comparationem non veniunt. Memoriter ex eo fit, quod est memor. Memorior non dicimus, nec memorosius; non habet enim comparationem. — Afranius in Vopisco:

Memíni memoriter."

Eadem Afranii verba leguntur ap. Charis. II. p. 184, ubi ed. Bas. Memini me memoriter. Inverso ordine illa laudavit Taubmannus ad Plaut. Capt. II. 2. 53.

XXV.

Charisius II. p. 177 ap. Putsch.: „Cotidiano. Afranius in Vopisco:

, — Etením quotidiáno in rebus máxumis,
Quîs praepositus, núnc potest, qui meó sit nixus nómine."

Quis Both. Libri qui. — Stephanus haec non habet.

XXVI.

Charisius II. p. 182 ap. Putsch.: „Impendio. Afranius in Vopisco:

Quo cásu cecidit spés reducendí domum,
Quam cúpio, cuius ego ín dies impéndio
Ex désiderio magís magisque máceror."

Quo casu omittunt Bas. Steph.

XXVII.

Charisius II. p. 186 ap. Putsch.: „Necessum. — Afranius in Vopisco:

Praeféstinamus, quaé sit causa, scíscere,
Quod sít necessum scíre, praesertim ín brevi."

in brevi. Steph. in bre*. Bothius: „In brevi pro brevi dixit etiam Florus. Vide lexica."

XXVIII.

Charisius II. p. 190 ap. Putsch.: „Porro pro in futurum. — Afranius in Vopisco:

— Ferunt di et pórro passurós scio."

Ferunt Bothio debetur. Ap. Putsch. pro eo legitur Fiunt.

Bas. Steph. tantum habent Porro passuros scio. — Cf. annott. ad Emancipati fragm. IX.

XXIX.

Charisius II. p. 191 ap. Putsch.: „Perditim. Afranius in Vopisco:

— Quia scit, me íllam amare pérditim.“

Perditim — perditim. Bas. Steph. Perdite — perdite. Adverbii perdite Charisius paullo ante exemplum dedit.

XXX.

Charisius II. p. 193 ap. Putsch.: „Repentino pro repente. — Afranius — in Vopisco:

Ubíque repentino húius consimile áccidit.“

Ubique. Bas. Ubi. Ap. Steph. desideratur locus.

XXXI.

Charisius II. p. 194 ap. Putsch.: „Surde. Afranius in Vopisco:

Amens es: quibus ánimi non sunt íntegri,
surde aúdiunt.“

Amens es. Libri ταὐτολογικῶς Amentes. Correxit Bothius. „Ille,“ inquit, „cui haec dicuntur, prae ira secus acceperat alterius verba.“ Gulielmius Verisimil. II. 16 delenda putavit quibus animi non sunt integri, tamquam irreptitia. Taubmannus ad Plaut. Casin. III. 2. 12 restituit Amantes; ad sententiam satis bene, minus ad metrum.

XXXII.

Charisius II. p. 197 ap. Putsch.: „Tumultuose. Afranius in Vopisco:

— Tumultuóse et cunctis cópiis.“

XXXIII.

Charisius II. p. 198 ap. Putsch.: „Utpote. Lucilius tertio. Plautus vero in Poenulo (I. 2. 74) et pro verbo posuit: Non pote quaestus consistere, si eum sumptus superat, soror. Afranius in Vopisco:

— Quasi verbum fécerim de isto, út pote.“

Apparere arbitror, apud Afranium non utpote, sed ut pote scribendum esse; licet Bothius annotaverit: „Insolens locus adverbii utpote.“ Ut pote, id est, quomodo fieri possit.

„Vopiscos appellabant,“ inquit Plinius H. N. VII. 10, „e geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu.“ Neque aliter Solinus et Nonius. Cf. Vossii Etymol. in h. v. Etiam in quibusdam gentibus id fuisse cognomen, nihil pertinere videtur ad Afranii fabulam. Ex fragm. IX. et X. colligi potest, puellam geminos concepisse, quorum alterum, quum pater, filiam gravidam esse edoctus, in eam furere coepisset, prae terrore abortu eiecerit; ut ab altero inscripta sit fabula. Summa autem huius togatae in eo constitisse videtur, quod iuvenis puellam, a se vi compressam, impedimentis superatis, tandem in matrimonium duxit. Fragmm. III. VI. IX. X. XIII. XXVI. XXIX. Ex fragm. VI. coniicio, imprimis adolescentis patrem nuptiis adversatum esse; ut fragm. XX. puellae patrem proferre arbitror. Huius etiam esse puto fragm. XV., ex quo scaena ita disposita fuisse videtur, ut alterius senis domus in planitie ad clivum sita fuerit, alterius in ipso clivo, ita ut senex adscendens a spectatoribus quoque visus sit. Fragmm. XVIII. XXIII. exclamaverit puella, patrem vociferantem audiens. Quae XIX. loco apud nos leguntur, ea fortasse dicit adolescens amicae, patris ira perterritae. Broukhusius ad Propert. I. 19. 11 ista accepit de spectro nocturno; Bothius dicit, sic imagine captum voluptatis vitiorumque dulcedine delenitum adolescentem ad frugem compelli. Neutrum caeteris reliquiis convenire videtur; minus illud, quoniam per fabulam agendam nox non repraesentatur. Quod ad caeteras personas attinet, quae introductae fuerint, fragmm. VIII. XXII. produnt servum; fragm. XVI. meretricem vel ancillam, a meretricis partibus non abhorrentem. Cf. fragm. II. Fortasse ex fragm. XX. suspicari licet, adolescentis, qui virginem vitiaverat, patrem cum ancilla alterius senis rem habuisse.

INCERTARUM FABULARUM AFRANII.

I.

Nonius p. 378 ed. Merc.: „Plaga aliquando pars lecti, aliquando omnis. — Afranius:

Palam facito demea et plagulam de lecto pellis dimitte ordine."

Haec corrupta sunt. Palam. Ven. I. II. Par. Plagam. — facito. Jun. marg. Merc. facto. — demea. Jun. marg. demito. — plagulam. Bas. plagula. — ordine. Merc. in ordine. — Palmerius in Spicileg., Grut. Thes. crit. T. IV. p. 782, tentabat:

Pallam ***

Farcto deme, et plagulam de lecto pallis demitte ordine;

ut priori versui ad finem desit nomen personae vel aliud quid, quod Marcellus omiserit. „Farctum est," inquit, „ipsa culcita, quae tomento farcitur." Bothius edidit:

— Pallam facito, Demea, et plagulam; de lecto Pellis demitte in ordine.

Parum quidem accommodatum hic videtur Graecum nomen Demea; ut taceam de sententia. Vide, num scribendum sit:

— Pallam, fác cito!
Déme meam et plagulám de lecto; péllis dimitte órdine.

Pertinet fortasse hoc fragmentum ad Divortium; nam loqui videtur ista verba mulier, in aliud domicilium migrans.

II.

Paullus ex Festo: „Arse verse averte ignem significat. Tuscorum enim lingua arse averte, verse ignem constat appellari. Unde Afranius ait:

Inscríbat aliquis 'ARSE VERSE in óstio."

Senarium restituit Scaliger, quum libri offerant in ostio arse verse, quam scripturam Bothius servat. Dacerius: „His vocabulis utebantur ad avertendum incendium. Plin. lib. 28. (cap. 2) Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. Neque arse averte: verse, ignem cum Festo interpretor: sed contra arse videtur pro arsisse et verse pro verte, id est, averte. Nisi malis haec omnia esse ad arbitrium ficta, ut hodie fieri videmus ab his qui artes magicas tractant. — Opinor autem esse eum (versum) ex Afranii fabula incendio."

III.

Paullus ex Festo: „Comptus, id est, ornatus, a Graeco descendit, apud quos κοσμεῖν dicitur comere, et κόσμιος,

quod apud nos comis; et comae dicuntur capilli, cum aliqua cura compositi. Comptum Afranius pro ornatu et excultu posuit." Comptum. Libri Conitum. Correxit Fulv. Ursinus. Praeterea vulgo istud cum sequentibus verbis subiungitur alii loco: „Conitum (vel Coniptum, quod praefert Dacerius), genus libaminis, quod farina conspersa faciebant. Conitum Afranius" etc. Manifesto verba Conitum (Comtum, Comptum) — posuit, ex illo loco avulsa, perperam huic addita sunt, ut recte Dacerius annotat.

IV.

Paullus ex Festo: „Mustricola est machinula ex regulis, in qua calceus novus suitur. Afranius:

— Mustricolam in déntes impingám tibi."

Scaliger: „Invenio in Glossis Latinis (Isidori), Mustricula, machina ad stringendos mures. Et puto verum esse. Nam lignum illud ad calceos suendos a similitudine illius machinae dictum videtur." „Quod placet," inquit Vossius in Etymol. h. v., „ut sit a mus et stringo. N omissum, ut in strigil." Quare non male suspicatur Bothius, scribendum esse mustrigula.

V.

Paullus ex Festo: „Obbrutuit, obstupuit, a bruto, quod antiqui pro gravi, interdum pro stupido dixerunt. Afranius:

— Non possum vérbum facere; obbrútui."

VI.

Festus v. Remillum, Fragm. p. 43 ed. Dacer.: „Remillum dicitur quasi repandum. — Afra(nius in . . . . .

Co)xendice pergam . . . ."

Paucas syllabas, uncinis a nobis inclusas, restituerunt editores. Lacunam sic explere possis:

— Coxéndice
Pergám remilla vádere. —

VII.

Festus v. Rutilium, Fragm. p. 36 ed. Dacer.: „Rutilum rufum significat; cuius coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt; unde traxerunt cognomina rutilas, ut indicat frequenter Afranius." Rutilum viris doctis debetur.

Libri perperam Rutilium. — cognomina rutilas. Fulv. Ursinus coniecit cognomina Rutilae. Vossius Etymol. v. Rutilus exhibet cognomina Rutiliae. Rutilius est nomen gentilicium, non cognomen. Bothius: „Scriptum fuisse olim puto: — cognomen, a rutilus, ut etc. Sed verba a rutilus ex margine irrepserunt.“ Arbitror autem, veram scripturam esse rutilas, quod tractum sit ad accusativum cognomina, ut alia constructione dicitur Mihi est cognomen Rutilus. Caeterum ad rem faciunt, quos laudant, Cato: „Mulieres nostrae cinere capillum ungitabant, ut rutilus esset crinis;“ Varro de L. L. VI. p. 78 ed. Durdrecht. a. 1619: „Aurei enim rutili; et inde etiam mulieres valde rufae rutilae dictae.“ In quo Varronis loco Bothius pro rutili — rutilae scripsit Rutili — Rutilae.

VIII.

Festus v. Solatum, Fragm. p. 54 ed. Dacer.: „Solatum, genus morbi, maxime a rusticantibus dicitur; cuius meminit etiam Afrani(us in . . . .) arquato med(eri, cuius nomen ab au)tigine.“ Uncinis inclusa Fulv. Ursini sunt, coniicientis aurigine pro autigine. Fortasse integrior sic fuit locus: „Afranius in . . . . . .

Solato atque arquato medeor.

Arquatus, affectus aurigine.“

IX.

Festus v. Stipes, Fragm. p. 59 ed. Dacer.: „Stipes, fustis terrae defixus. Afra(nius in . . . .) Porro honeste (quam fecerit, qui stip)ite hostium (impulit, vostram implo)ro fidem, qui (adestis. . . . .).“ Quae uncinis inclusimus, ea profecta sunt a Fulv. Ursino, censente, ostium scribendum esse sine nota adspirationis. Fuisse ostium impulit apud Afranium, etiam Jos. Scaliger pronuntiaverat. Bothius offert:

Porro quam honeste fecerit, qui stipite hostium impulit,
Vostram fidem imploro, qui adestis . . . . . .

Ferri poterunt haec:

Pórro honeste num ílle fecit, quí sic stipite óstium
'Impulit? Vestram óbsecro fidém, qui me adiutémini.

X.

Festus v. Tamne, Sched. p. 90 ed. Dacer.: „Tamne, eousque, ut Aelius Stilo et Opilius Aurelius interpretantur. Itaque Afranius:

— Tamne árcula
Túa plena est aránearum?" —

Tamne, adeone. Afranium videtur imitatus esse, ut viri docti animadverterunt, Catullus, scribens XIII. 7 sq.:

„Nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum."

„Ita," inquit Dacerius, „loquebantur Latini, ut aliquid vacuum et desertum significarent." Cf. Plaut. Aulul. I. 2. 6 ibique interpp.

XI.

Festus v. Toxicum, Fragm. p. 77 ed. Dacer.: „Toxicum dicitur cervar(ium venenum, quo) quidam perungere sagitta(s soliti sunt). — Afra(nius in . . . .)

— Uxórium istud tóxicum
Mitt(ite)." —

Scaliger Afranii verba sic legit: Uxori vin' istud toxicum mittere? „Fortasse," inquit, „etiam legendum: Afranius Uxore." Quod quantum probabilitatis prae se ferat, non est quod dicam. Fortasse autem pro Mittite legendum est Mitte ei. — Uxorium toxicum putat Bothius intelligi posse eiusmodi, quale uxores mittere soleant pellicibus, velut Medea Crëusae. Intelligi etiam potest eiusmodi, quo quis ad amorem pelliciatur vel ab alicuius amore avertatur. Neque illud ab eo, quod simpliciter uxorium dicitur apud Quinctilianum Decl. XV. 9, diversum fuisse arbitror.

XII.

Charisius I. p. 118 ap. Putsch.: „Testu, ut genu, Flavius Caper veteres ait dicere solitos. Mummius in Atellana: Junius Ad spectacula est videre in testu, quantum sit caput. Afranius:

Indignum velut dici solet testu.

At Maro testam dixit." velut. Bas. Steph. vero. — Barthius Advers. IV. 5 corrigendum putat: In signum velut duci solet testu, addens: „Currente nimirum rota ducitur in sigillum aliquod." Bothius senarium faciat scribendo Indignum veluti dicier testu solet; dubius tamen de

sententia. „Ista Afranii," inquit, „quid sibi velint, parum intelligo: nam indignum testu vel proprie vel proverbii loco dici, non memini me legere apud scriptores." Facili mutatione nec inepta sententia scribi potest:

Indignum veru, disco, olla et testu.

Sermo videtur fuisse de aliquo cibo nequam.

XIII.

Cicero Tuscul. IV. 20: „Ipsam aegritudinem, quam nos ut taetram et immanem belluam fugiendam esse diximus, non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore: morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita ductum ab Afranio. Nam quum dissolutus filius:

Heú me miserum! —

tum severus pater:

— Dúmmodo doleat áliquid, doleat quídlubet."

quidlubet Orellius cum aliis ex codd. Vulgo quod lubet. Eadem lectionis varietas est etiam Tusc. IV. 25 et Epist. ad Att. XVI. 2, ubi rursus afferuntur verba Dummodo etc. In epistola ad Atticum poëtae nomen non est commemoratum.

XIV.

Gellius XX. 6, de vocabulis vestri et vestrum, nostri et nostrum aliisque exponens: „Afranius," inquit, „in togata:

Nescío qui nostri míseritus tandém deus."

XV.

Macrobius Saturn. VI. 5: „Auritos lepores non Maro primus usurpat (Georg. I. 308), sed Afranium sequitur, qui in prologo ex persona Priapi ait:

— Nám quod vulgo praédicant,
Auríto me parénte natum, nón ita est."

Stephanus ex hoc loco suspicatur, fuisse aliquam Afranii fabulam, Priapi nomine inscriptam. De quo non est quod addam quidquam. Broukhusius ad Tibull. I. 4. 7, reprehendens Macrobium, quod Priapum ex lepore satum esse affirmet, sic

explicat Afranii verba: „Priapus dicit, iniuriam sibi fieri ab iis, qui eum Panos aut Sileni filium perhibeant, aut etiam Satyri alicuius auriti; quum sit Liberi patris vera proles." Habuit tamen, ut videtur, Macrobius integram Afranii fabulam; ut melius iudicare posset de mente poëtae, quam nos. Nec magis alibi Priapus dicitur Panos filius aut Sileni aut Satyri, quam leporis. Neque omnino video, quidni ridiculus deus ridicule a lepore genitus esse dici potuerit.

XVI.

Servius ad Virg. Eclog. IX. 24: „Inter agendum, dum agis. Et honesta locutio est, si dicamus: Inter coenandum hoc sum locutus. Afranius:

Inter loquendum."

XVII.

Servius ad Virg. Aen. XI. 373: „Etiam tu, eia. Nam hortantis adverbium est hoc loco. — Ponitur etiam pro nondum. Afranius:

Etiam quidquam egisti?

id est, nondum quidquam egisti." Nec tamen per se etiam est nondum. Tunc tantum sic interpretari licet, quum, ut hic apud Afranium, aliquis loquitur per interrogationem, in qua simul negatio continetur.

XVIII.

Isidorus Orig. XII. 6. 60: „Spongia a fingere, id est, nitidare et extergere, dicta. Afranius:

— Accedo ad te, út tibi cervícem fingam línteo,

id est, extergam." ut tibi. Gothofr. ut te tibi, errore typographico, ut videtur.

XIX.

Isidorus Orig. XII. 8. 16: „Bibiones sunt, qui in vino nascuntur, quos vulgo mustiones, a musto, appellant. Unde et Afranius:

Ad mé quum spectas fábularique íncipis,
Ex óre in oculos tuós bibiones ínvolant."

Bibiones. Arevalus ad h. l.: „Salmasius in not. ad Spartianum in Hadriano cap. 16 legit bibones, et interpretatur

culices. Sed culex genus est, cuius species est bibio ex vino natus. Neque est, cur bibonem potius dicamus. Ex vulgari veteri vocabulo mustiones ad Hispanos transiit nomen mosquitos." — Ad me quum spectas fabularique. Gothofredus edidit Cum ad me exspectas et fabulari. Arevalus annotavit, alios legere Quum ad me spectas etc.; alios Quum me exspectares fabulare. — oculos tuos. Gothofr. oculis tuis. Cf. Privigni fragm. XI. — Ut Gothofredus, locum exhibet Gesnerus in Thesauro L. L. v. Bibiones, ubi haec annotantur: „Forte ita allusit Poëta in hominem bibacem, cuius ex ore, velut ex veteri lagena, examina eiusmodi muscarum evolent."

XX.

Isidorus de Differentiis verb. litt. S. 500. T. V. p. 63 ed. Areval.: „Inter stultum, fatuum et stupidum. Quidam veterum fatuum existimant, qui nec, quod fatur ipse, nec, quod alii dicunt, intelligat; stultum vero hebetiorem corde. Unde Afranius:

> Ego, inquit, me ípsum stultum exístimo; fatuum ésse non opínor;

id est, obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Stupidus vero dictus est quasi lapideus, quasi stolidus." Eadem paene ad verbum afferuntur a Spengelio ad Caecilii fragmm. p. 12 ex Salomonis glossario, cuius libri rarissimi inspiciendi copia mihi non fuit, legiturque versus, non commemorato poëtae nomine, Isidor. Orig. X. litt. S. 246. — me ipsum stultum. Priore loco apud Isidorum Arevalus edidit me stultum, posteriore me esse stultum, in annott. dicens, pro me esse alios legere meipsum esse, quod habet Gothofredus. Taubmannus ad Plaut. Bacchid. V. 1. 2 laudat Ego me ipsum stultum etiam existimo etc. Spengelius reperit me stultum, coniicitque memet stultum; non male, licet praeferendum videatur, quod dedimus.

XXI.

Varro de L. L. V. 12. p. 42 ed. Spengel.: „Extra oppida a puteis Puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines; nisi potius, ut Aelius scribit, Puticuli, quod putescebant ibi cadavera proiecta. Qui locus publicus ultra Exquilias. Itaque eum Afranius Putiluculos in togata appellat, quod inde suspiciunt perpetuo lumen." De Puticulis cf. Festus in

h. v. — Putiluculos. Sic Spengelius cum uno cod. Paris. et ed. Augustin. marg. Codd. Florent. et Havn. cuticulos. Vulgo puticulos. Scaliger putilucos, in margine et ipse scribens Putiluculos. — Caeterum hic et Gellii locus, qui apud nos est XIV., effecisse videntur, ut apud Funccium de Adolesc. Lat. ling. p. 98 Togata in fabularum Afranianarum numerum relata sit. Sed procul dubio plerique omnes rectius statuunt, nomen in istis locis omissum esse, illudque togata tantummodo genus fabularum indicare. Similiter scripsit Charisius I. p. 118 ap. Putsch.: „Mummius in Atellana;“ et Nonius v. Bidentes p. 53 ed. Merc.: „Pomponii in Atellana.“

XXII.

Ausonius in epistola, qua Paullo commendat edyllium XIII., centonem: „Solae memoriae negotium, sparsa colligere et integrare lacerata, quod ridere magis, quam laudare possis; pro quo, si per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius nauci daret, nec cicum suum Plautus offerret.“ Inde esse videtur, quod Gulielmius Verisimil. II. 16 ex Afranio ponit homo non nauci in hisce: „Ut Afranius, homo non nauci; Naevius, non quisquiliae; Vatinius apud Ciceronem, non semissis; Plautus, non assis, non trioboli: ita hic (apud Nonium v. Senica) Pomponius, non sescuntiae dixit, de eo qui nihili et nullae rei esset.“ In lexicis homo non nauci ex Ennio et Plauto afferunt.

XXIII.

Lipsius ad Senecae Epist. LIX.: „Muretus appositum Afranii versum adducit,

Gaudebit sapiens, laetabuntur ceteri:

Afranii, an suum?“ Videtur Muretus hunc versum fecisse ad imitationem Ominis fragm. VII.

INCERTARUM TOGATARUM FRAGMENTA.

I.

Seneca Epist. LXXXIX.: „Sapientia est, quam Graeci *σοφίαν* vocant. Hoc verbo quoque Romani utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur. Quod et togatae tibi antiquae probabunt et inscriptus Dossenni monumento titulus: Hospes, resiste, et sophiam Dossenni lege.“ Cf. Afranii Sellae fragm. I.

II.

Servius ad Virg. Aen. XI. 160: „Veteres — vivendo vincere dicebant supervivere, ut (Virg. Georg. II. 295): Multa virum volvens vivendo saecula vincit. Nam et in togatis victrices appellantur, quae viros extulerunt.

I. INDEX SCRIPTORUM.

II. INDEX VERBORUM.

B.

C.

D.

E.

G.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

III. INDEX METRORUM.

Corrigenda et addenda.

Pag. 19 l. 14 pro proprius legendum propius. P. 19 l. 21 ad Vitruvii nomen pertinet de Architect. V. 6. 9 ed. Schneider. P. 111 l. 32 pro illam leg. illum. P. 126 l. 31 pro Sic. Merc. leg. Sic Merc. P. 204 l. 4 pro Amare, habere leg. Amare habere. Cf. Plaut. Asinar. I. 1. 63, Curcul. V. 3. 20. P. 240 l. 30 pro pérmisces opere leg. operé promisces.